


SIMONIS MARICII PILSNENSIS, iureconsulti, De Scholis seu Academijs, libri duo.

CRACOVIAE IN OFICINA HIERONYMI Schaffenbergi Anno salutis M. D. L I. Mēse Aprili.

VALENTINI HERBVRTHI Dobromilscei Decastichon.

Prælustres alij stupeant in rupibus aulas,
Purpureos regũ suspiciantq; toros.
Vulgus & ignarum tabulas miretur Apellis,
Qui Paphiæ Veneris pinxerat effigiem.
Ast nos qui dulcis comitamur signa Mineruæ,
Scripta Simon teneãt ingeniose tua.
Pareat his tantum libris cũ rege senatus,
Omnipotens populo quẽ dedit ipse suo.
Gymnasia in regno nimium neglecta uirebunt,
Et capient docti præmia digna uiri.

IVVENTVTI POLO-
næ Andreas Tricesius.

Scripſerunt alij uarijs præcepta libellis
Inſtituendæ eſſent qua ratione ſcholæ.
At quia per partes ea tractauere, nec ullus
Abſoluit numeris omnia rite ſuis.
Materiã hãc ſũpſit methodumq; ſecutus et artẽ
Perfecit magna ſedulitate Simon.
Tu ſtudijs gratare bonis ſtudioſa iuuentus
Eloquio tãtum iudicioq; uirum.
Atq; utinã ſimiles proferret Lachia plures
Barbarico hẽu nimium Lachia iuncta ſolo.
Floreret ſic eius honos & gloria, poſtquam
Barbaria extremos iret ad uſq; Getas.
Hoc equidem Auguſti nos iam ſperare uolũtas
Egregia in Muſas & bona quæq; iubet
Hunc tantum ſeruato diu Rex Maxime nobis,
Sic uenient Regnis aurea ſæcla ſuis.

Τοῦ αὐτοῦ

Δεῦτε φίλοι Μουσῶν θεράποντες θεσπεσιάων
Καὶ τὴν δ' ἀμφοτέραις λήψετε χερσὶ βίβλον
Πάντας γυμνασίοιο νόμους καὶ ἤθεα κεδνά
Δαιδαλέοισι λόγοις ἔνθαδ' ἔγραψε Σίμων
Τῇ διδαχῇ ἐπίσημος, πολὺ φέρτατος ἄλλων
Ἡμετέρη κλειτοὺς οὓς ὑπορειάς ἔχει

NICOLAVS GELA-
ſinus Leopolieſis, in Scholas Si-
monis Maricij.

Gymnaſia in regno quiſquis neglecta dolebas,
Deſine, iam reparat ſedulus illa Simon.
Fallor? an hic etiam reparat nil? nẽpe Simonis
Non eſt, ſed magni eſt principis iſtud opus.
Ergo Simon docuit qua nam reparabilis arte
Hæc fuerit noſtræ tanta ruina ſcholæ.
Reſtat ut ô tandem iuſto cum Rege ſenatus
Neglectas, iſta uindicet arte, ſcholas.

REVEREN-
DISSIMO IN CHRI-
sto patri, Andreæ Zebridouio diuina gratia Cracouiensi- um Episcopo, atque

Gymnasij Cracouiẽsis Cã=
cellario, Simon Mari=
cius Pilsnensis
S.P.D.

CVm mihi satis ꝓspectũ et exploratũ esset, Andrea Zebridoui Antistes, quãtũ ꝓ parte quisq; sua, patriæ deberemus: utpote quæ in lucem editos omnes excipit, complectitur, atq; fouet, cõformãdo primũ rudes animos honestissimis institutis & moribus, deinde ornãdo honoribus ac præmijs: Cœpi continuo egomet mecũ etiã cogitare. Nõ iã quãtũ patriæ meæ deberem. id enim animũ deiecisset, cõparãtem tenues uires suas, cũ ãplis patriæ officijs ac meritis, sed quo munere potissimũ, uideri possem nõ igratus in patriam. Multa quidẽ in mentẽ mihi ueniebãt

quæ

quæ illa suo quodam iure ueluti porrectis mani-
bus postulare atq; exigere posse uidebatur: Sed
ego ingenioli uiriumq; mearũ mihi cõscius ad il-
la animũ meũ adieci, quæ mihi uidebar ferre pos
se. Et quanquam non desunt in hac nostra patria
& quidem multi, qui ei debitã fidem & gratiam
amplissimis muneribus exoluũt, qui iuuãt consi-
lio & re, qui imperandi militãdiq; artibus et a-
lendis exercitibus sustinent rempublicam, tamẽ
facilè mihi persuadeo patriam meam ea beni-
gnitate charitateq; in me fore, ut, quicquid etiã
p me sua causa factum erit, uultu id sereno ac
exporrecta fronte, oblatum suscipiat, neq; auer
setur, aut reijciat, quòd uel mediocre sit uel le-
ue: quin animi nostri grati signa in se bene de
nobis meritam, ex quouis labore nostro, ceu cer
tissimo gratitudinis teste, colliget. Atq; propte-
rea his fretus de scholis seu Academijs pauca
quædam in breuẽ commẽtariũ redegi, ne patriæ
charissimæ debere diutius uidear, nisi uel leui
saltẽ munere uolũtatẽ & studiũ erga se meum
testatũ haberet. Tametsi si quis cũ animo suo re
putet diligẽter non putabit munus hoc tenue ac
cõtemnendum esse, quod rempublicam in pace
fœliciorẽ efficit, in bello paratiorẽ institutione ac
doctrina. Neq; enim probari potest illud homi-
nis barbari iudiciũ, q Gothis author fuit, ne ma-
gnam

gnam librorũ copiam Athenis captis combure-
rent (id enim consilium barbari iam coeperãt)
quòd falsò existimaret, Græcos homines dũ stu-
diosius libris incumbunt, minus ad bella fieri ido
neos: Quanto rectius Magnus Alexander rerũ
gestarũ gloria atq; eruditione insignis, dũ Asiã
cum exercitu intraturus, ludis propositis, Mu-
sis etiam sacrificaret, quòd literarum præsidio
citius bellum confecturum se putaret. Hũc autẽ
tenerum ingenioli mei partum per quẽ reipu-
blicæ commendem, diu multumq; anxius mecum
cogitaui. Cum enim in memoriam redij, cui ego
plurimum deberem, repentè occurrebat offere
batq; se inprimis, Mecœnas meus Petrus Kmi-
tha, clarissimus regni Polonici Senator, qui non
solum ueteri & illustri familia consilijsq; suis,
sed etiam specie ipsa dignitatem reipublicæ sus-
tinet. Quem uirum, de republica, de lite-
rarum studiosis, de me non mediocriter bene
meritũ, cùm, animo meo, intueor, nihil non ue-
hementer cupio honoris sui causa. Atq; pro offi-
cio meo facturum esse me certò scio, si omnem
fructum meorum studiorum ei acceptum retu-
lero, cui me hoc nomine plurimum debere pro-
fiteor. Verum ubi rursus pono ante oculos, Cõ-
mẽtariũ hunc meum, de scholarum atq; discipli-
narũ ratione, atq; illum Antistes tecũ, cumq; of-

ficio

ficio tuo comparo, quod Samuele decedente, di-
uino & Sigismundi regis beneficio, merito sanè
tuo his paucis diebus suscepisti, haud puto quē-
quam alium reperiri per quem respublica cō-
modius & certius, studium in se meum operāq;
probaret, quàm te Zebridoui Antistes. in hoc
præsertim fœlici auspicio accepti sanctissimi ma
gistratus. Quanquam enim ne senatores quidem
à cura bonarum literarum abhorrere penitus
existimo pro suo officio, tamē Episcoporum id
proprium & peculiare munus est. Quēadmo-
dum igitur superioribus ānis Demosthenis ora-
tiones Latinas, de Pace et libertate, dedicaui, ui-
dici pacis & libertatis, Petro Kmithæ, ita hunc
ipsum animi mei fœtum, tuo nomini consecran-
dum statui, Præsul ornatissime. Non quod meis
consilijs tu quicquam indigeas: Non modo ipse
abundas consilio, sed & Polona respublica per
te: uerum partim ut lucubrationem hāc nostrā
commendatiorem tuo nomine efficiamus, parti
ut te clarissime Antistes in hoc nouo magistratu
tuo, & munere aliquo prosequamur animumq;
non ingratum in nostrum Præsulem testemur,
& incitemus ad curanda atq; ornāda studia bo-
narum literarum. qui solus mihi id & uelle ma-
ximè uideris, & posse. Velle quidem te maximo
documento est āteacta uita tua. Neq; enim fieri
potest

potest, ut nō cū summo studio bonis literis bo-
nisq; ingenijs bene uelis, qui omnem primā æta-
tem tuam in liberalibus studijs domi forisq; po-
suisti, qui cum in Germania summo illo Erasmo,
tum in Italia primarijs quibusq; uiris in philo-
sophia & literis familiariter usus, uitam tuam
in excolendo ingenio & animo peregisti. Vnde
tuā uolūtatē præsule dignā, studiūq; ingēs in bo-
nas literas ōnes facilè colligimus. Quod sanè ut
alacrius uelis, & semper uelis, quanquam ingēs
opinor stimulus tibi erit, recens exemplum Sa-
muelis antecessoris tui, qui tantum, hijs paucis
temporibus, impendit sumptus in præceptores
bonarum literarum, quantum superioribus sæ-
culis, uix quisquam alius, eius ordinis, apud nos,
tamen aliquod calcar, nisi me animus fallit, istæ
mea lucubratione tibi etiā accedet. Nam posse
quenquam magis te, ea in re præsertim, haud
facile crediderim. Qui præterquam quod tantā
consecutus es gratiam, uirtute, prudentia, eru-
ditione, fide, facultateq; dicendi, quæ in te insunt
summa, ab SIGISMVNDO Augusto sin-
gulari & pietate, & clemētia rege, &, ut au-
dio, suapte sponte propenso in amorem bonarū
literarum, ut nihil ab eo non possis obtinere ex
hoc loco, in quem te uirtus tua extulit, quo rem
publicam Polonam & tutiorem & ornatiorem
efficias.

efficias: præterea tantum ipse per te uales bonis
animi & fortunæ, ut nihil tibi omnino ad ea cõs
modè perficienda, quæ uis et cogitas, deesse uide
atur. Causa igitur ea fuit ut præscriptã à no=
bis formam Gymnasij sub tui nominis auspicio
emitteremus, uolũtas tua in exornandis bonis
literis, literarumq; cultoribus & prompta fa=
cultas efficiendi quod uelis. Quanquam & il=
lud haud leuiter nos impulit, quòd nemini aptius
conuenire atq; cõgruere ea res uidebatur, quæ
rationem præscriptam instituendi & curandi
Gymnasij continet, quàm eiusdem Gymnasij præ
sidi tutoriq; seu (ut uulgò) Cãcellario. In quo mu
nere si te Christus diu nobis saluum & incolu=
mem esse uelit, quod optamus, facile futurum
cõfidimus, ut indies nitidius illustriusq; Gymna=
sium Cracouiense uideamus, ac Musis mansue=
tioribus per te fruamur. Accipe igitur Andrea
Zebridoui Antistes, & accipe grato animo,
quod damus munusculum leuidense, crasso filo.
idq; authoritate præclari tui nominis quasi fir=
mo præsidio tuere. Atq; si offenderit purgatis=
simam aurem tuam dictio crassior, longe aber=
rans ab illa puritate sermonis Latini, quam tu
pro tua eruditione soles in scriptis aliorum re=
quirere, cogita tecum diligenter, quã benignè
agendum est cum illis, qui meliorem ætatis suæ
partem

partem in quæstionibus putidis et Barbaris, quã
in Cicerone, nonnullam in Bartolo, et Bal=
do inuiti posuerunt. Vale Antistes or
natissime diu fœlix. Cracouiæ xij
kal. Maij. Anno salutis
M. D. L. I.





SIMONIS MARICII PILSNENSIS POLONI IVRISCONSVLTI, IN VTRVMQVE DE SCHOLIS SEV ACADEMIIS LIBRVM, AD VALENTINVM HERBVRTHVM DOBROMILSCEVM, PROOEMIVM.

Cogitanti mihi Herburthe confirmata iã ætate, qua ratione ac modo, reliquũ uitæ meæ cursum commodè, atque honestè transigerem: nc animum meum, nec dum alicui certo uitæ generi adfixum, nostrorum temporum incuria contagione sua, uel ambitioni manciparet, uel ad turpe ocium abijceret: ea potissima uiuendi ratio, naturæ & uoluntati meæ adcõmodatißima uisa est, ut ob adolescentum oculos uersatus, in profitendis honestis literis cõsenescerem. Atque in eam quidem uoluntatem & sententiam, animum meum distractum cu-

ris, atque cogitationibus pendentem, maximè impulit ſtudio illo ſuo honeſtiſſimo, Italia, dum bonarum literarum amore, ſingularum penè artium præceptores, debito præmio ac iuſto honore proſequitur. Verum ubi in patriam redij munusq; profitendi, apud exteras nationes in ſummo precio ac honore, apud nos & præmio nudatum, & ornamento omni exutū, turpiter uidi iacere, priorem illum animū in hoc uitæ genere defixum, exui cum mœrore, nihilq; non prius cogitandum eſſe duxi, niſi, ut me quā primum, & quam minimo poſſem rerum mearum diſpendio, ex iſto munere profitendi q̄ nec præmium nec honos conſequitur, exoluerē: non alio ſanè ſtudio quàm indignitate rei permotus uehementer. Quis enim ferret æquo animo adeò diuinum atque honeſtum munus, & reipublicæ utiliſſimum, tam indignè tractari ac penè deſpui? quis non ſummo afficiatur dolore, infimos quosque ordines, longè honeſtiore & loco dignari & nomine? turpisq; ocij amatores gratia cōplecti atque foueri? præceptores autē bonarum literarum, eo ipſo quòd non omnes æque munerí ſuo reſpondeant, uno ordine eſſe omnes, hoc eſt ferè infra omnes homines putare? Et quamuis ea uiuendi ratio quam chariſſimam duxi, & in qua conſeneſcere ſtatueram,

minus

minus ſucceſſit, nolui tamen hoc, quicquid ſtudij diuino munere in me eſſet, ad turpes uoluptatum illecebras, tanquam ad aliquod infelix ſaxum diſijcere ac perdere, uitámque in ocio ſine ullo honore trāſigere, idq; eo magis, quòd etiam ceſſationis, rationem reddendam eſſe ſapientes cenſuerunt. Animum itaq; collegi ad ſcribendum, eam præſertim conditionem uitæ nactus, in qua honeſtos ocij fructus liceat producere, poſteaquam neceſſarijs uitæ meæ utcūque proſpectum eſt. Quod mihi per te contigit Valentine Herburthe, quem chariſſimi fratris loco habeo et habebo, merito ſanè tuo, dum uita ſuperſtes eſt, à Petro Kmitha Mecænate meo affine tuo, clariſſimo reipub: Polonæ ſenatore. Ea fuerunt Herburthe, quæ animum meum dubium, ad ſcribendum excitarunt. Vt uerò de ſcholis aliquid literis traderemus, tu etiam author fuiſti. Soles mecum ſæpenumero ut mos eſt ſtudioſorū, qui ſecum concordiſſimè uiuunt, in certamen de uarijs quæſtionibus deſcendere, ut qui, ex diſcipulo amiciſſimus, atq; familiariſſimus mihi factus, ac eorundem ferè ſtudiorum particeps, non demiſſis iam, ut olim, ſed collatis ſignis mecum pugnas, non hoſtili tamen animo, ſed amico, candido, ac ſyncero. Ex quarū quæſtionum numero, dum illa nobis ſæpius in controuerſiam uocaretur, Cur honeſtiſ-

ſima

ſima hæc atq; reipublicæ utiliſſima, Scholarum inſtitutio, noſtro hoc ſæculo, à noſtris Polonis adeo negligeretur, tūq; cauſam ad præceptorū ineptias ac uitia (non quòd ita ſentire uideare, ſed ut faces diſputationi ſubijceres) ego ad ipſa reipublicæ capita reuocarem, ut quorum interſit Scholis quam optimè proſpicere, nihil tamen minus ſua intereſſe quàm hoc exiſtiment. In mentem ſtatim ſubijt aliquid ea de re conſcribere, unde ſi nihil reipublicæ polonæ commodi acceſſerit, animum tamen noſtrum non ingratum in ſcholas Cracouienſes ea lucubratione fortaſſe teſtabimur, ubi ferè à puero moribus honeſtis, ac doctrina aliti, educatiq; ſumus. Cum primum igitur de hoc noſtro opere cogitatio in mentem nobis ſubijſſet, rationemq; ſeu uiam ſcriptionis propoſitæ à nobis exigeremus, ea potiſſima uiſa eſt, quam illi ſuſcipiunt, q domus ædificandæ conſilium ſecum ineūt. Quēadmodum enim iſti imprimis artificem inquirunt, qui cæteris longè excellere uideatur, & cui tuto dent faciundi operis poteſtatem, deinde rei formam, ſeu totius operis ideam, in animo ſuo conceptam, ſuo ſuorúmq; ue uſui, accōmodatam, exprimunt, quam artifex ceu pulcherrimum ſimulacrum intuitus, dominum uoti ſui compotem pulcherrimo opere perfecto,

efficiat

efficiat: Ita & nos aliquid de reſtituendis Scholis literis tradituri, primum cauſam Scholarū effectricem inquirendam, poſtea exemplar quoddam Academiæ, ſi non egregijs picturis adornatum, quod ſanè quantum in nobis eſt optaremus, at ſaltem lineamentis deſignatum, alijs poſterius eruditione, iudicio, atq; prudentia maiore præditis, uiuis perficiendum coloribus, proponendum eſſe exiſtimauimus, ceu formæ inſignis imaginem, ut ea ipſa cauſa effectrice, ceu digito demonſtrata, artificeq; inuento, qui poſſit & debeat pulcherrimo operi incumbere, & typo operis propoſito, ad quem is ceu ad Helenæ formam, penicillum ſuum dirigat, inertiam, ignauiamq; hominum ocioſorum, q ſibi hoc noſtro tempore, non reipublicæ ſtudēt, excitaremus, ad reſtituendas ornandáſq; ſcholas, quæ ſūt τιμῆεν μάλα κάλορ κειμήλιον, in omni republica, ut uerbo Homeri utamur, theſaurꝰ uidelicet ualde precioſus et honeſtus. Sed quoniam & ingenium artificis fit ad excogitandum celerius, & manus promptior ad agendum, ſi utraq; operis ſui fine perſpecto excitentur, propterea in huius operis noſtri principio, quaſi in ipſo ueſtibulo, finem officinæ literariæ poſuimus, ſtudium uidelicet literarū atq; educationis diſciplinā, quæ ex Scholis bene inſti-

tutis

tutis haurimus, ad salutem decus, ornamentum reipublicæ omniumq; eius ordinum pertinere. Ita enim existimabam fore, si eiusmodi finis tãquam in prima acie collocatus, ob oculos mentis aut corporis, sæpius obuersaretur, quòd ijdem ipsi, ad quos reipublicæ salus & incolumitas potissimum spectat, non etiam illud alienum ab suo munere arbitrarentur esse, unde reipublicæ non dubia salus & præsidium, unde decus & ornamentum omne est. Quid enĩ per Deum immortalem, ad seminaria reipublicæ sufficienda, ad salutem, pacem, tranquillitatemque eius tuendam, ad sacerdotis, regis, atque Senatoris dignitatem, ad plebis concordiam artisq; militaris stabilimentum aptius, accommodatius, tutius atque honestius esse poteste quàm Scholæ? quàm Gymnasia optimè instituta? Quæ quidem res profectò nobis etiam animum ad scribendum addidit. Vt pro nostra uirili ostenderemus, omnium reipublicæ membrorum, seu sint sacra seu prophana, Scholarũ curam interesse, rempublicamq; totã, pulcherrimi huius operis effectricem causam esse, eoq; omnes suas cogitationes & conatus, omnem operam & curam debere conuertere, huc neruis ac totis uiribus conniti, ut Scholas, unde ceu ex ditissimo ac limpidissimo fonte, ingens honestas utilitasq; in omnes Reipublicæ ordines, publicè & priuatim manat atq; profluit, ignauia ociosorum hominum deformatas, uigilantia sua, & salutari consilio expoliret. Ea fuit consilij nostri ratio Herburthe, hoc institutũ operis propositi, atq; modus. Sed iam ad rem ipsam accedamus.

QVAE RES PRISCOS HOMINES AD OFFICINAS DISCIPLINARVM LIberalium instituendas atque frequentandas impulerit.

CAPVT. I.

HVmani ingenij ea uis est & ardor, naturam cum in plerisque tum in hoc plurimum imitari: ut propemodum omnia, neque temerè aut frustra, neq; sine causa inuenisse, sed in certum finem destinasse uideatur. Etenim agrestes illos homines ac incultos, primũ pecudum more sparsim uagantes, atq; incertis sedibus & in cubilibus lustrisq; ferarum in ãtris ac speluncis uitam degentes, domos ac tecta

cta docuit fabricare, quæ essent ad propulsan=
dos imbres, tempestatumq; uaria incommoda
euitanda. Et cum à tempestatibus quidem satis
tuti hoc modo esse uiderentur, ferarū uerò mor=
sus prædonúmque uim crebrius experirentur
quàm excluderent, tandem in unum locum co=
acti, ciuitatibus, mœnibus cingendis, animū adie=
cerunt, quòd ita uitæ, saluti, securitatique &
suæ & suorum, contra morsus & uim, ad opés=
q; publicè & priuatim conseruandas, com=
modius prospectum iri putarent. Quemadmo=
dum igitur humana solertia, tecta & ciuitates
in hoc posuit, ut utraque ea re saluti ciuiū pro=
spiceret, ita scholas literarum atque educatio=
nis fontem, summa cum ratione, priuatim &
publicè esse uoluit, ne uidelicet homines, secu=
ritate abusi, nullis literarum atque educationis
repagulis obiectis, nullis doctrinæ frenis inie=
ctis, in ocia turpesq; uoluptatū illicebras cor=
pora sua, & animos abijecerent. Nam si ciuita=
tes cæteris omnibus ornatæ, hac una re, doctri=
na nimirum atque educatione, destituerentur,
ij profectò, quibus authoribus ex agris homi=
nes in hanc ciuitatis ac legum communionem,
primum coacti sunt, & conuenerunt, multo
plus mali, quàm boni inuexisse mortalium ge=
neri uiderentur. Nam in uita illa laxiore, nul=
lis

lis nec ciuitatum, nec legum uinculis alligata,
morsus ferarum & prædonum uis, uigilantiā
hominum excitando, mores in turpem ignauiā
prolabi non sinebant: nunc securitas sine stimu
lis literarum & aculeis doctrinæ. Primum, Iu=
uentutis studium ad ociū turpe auocaret, quod
perinde turbat ciuitatem, si Platoni credimus
ut pituita corpus: Deinde ad uoluptatem, om=
nemq; lernam turpitudinū impelleret, qua ni=
hil potest ciuitatibus neque nocentius fingi ne=
que turpius. Quare prisca illa ætas, cum ciui=
tates in hoc positas esse uideret, ut humanæ se=
curitati & tranquillitati caueretur, securitatē
uerò absque ullis solicitudinum atque exerci=
tationum stimulis, ingentis mali occasionē esse,
duplex exercitationis genus, in ciuitatibus so=
lerter constituit, alterum quod ad corpora p̄=
tineret, alterum quo acies mentis excoleretur.
Ad exercitationes corporis referimus illas to=
tius Græciæ πανηγυρίας, id est conuentus ce=
leberrimos, ad certamina seu ludos Isthmicos,
Nemeos, Olympicos, Pythios, & Romanorum
campum Martium, qui & studia uenādi, & ho
nesta exempla ludendi abūde suppeditauit, at=
que illa Platonis Gymnastica ad cursum & lu=
ctandum. Quæ quidem omnia exercitationum
genera, partim roboris acquirendi, & retinē=
di

di causa partim ualetudinis tuendæ gratia quæ torpore ac ocio defluit, interdum ludis iocisq; admistis ciuitates bene moratæ frequentant.

Corporaq; agresti nudāt prædura palestra.

Quò uel ita, iuuentus talibus palestris assueta, facilius bellicos & graues labores superaret. Sed cum inter animum & corpus ea sit coniūctio atque societas, ut, quemadmodum animarum habitus, temperaturas corporum in utrāq; partem sequuntur, ut aut tardiores sint, aut ueloциores: ita corporum bonitas, ex animarum facilitate, tarditas ex stupore dependeat: ueteres rebus publicis satis prospectū esse atque consultum non putabant, nisi exercitationibus hisce corporum animorum etiam institutiones accederent. Cuiusmodi iure quodam optimo, & sunt & habentur literarum gymnasia seu scholæ. Sicut enim colores in ipsis rebus inhærentes, clausi ac tecti tenebris, non nisi splendore luminis patefiunt, ita animi immortales, corporibus ueluti nube obtecti, doctrinarum atq; literarum radijs illustrātur, ut ex desidiæ tenebris in apertam contemplationis lucē prodeant, se ipsis indies magis ac magis clariores atq; perfectiores, donec, ad summam illam ac perfectam sui naturam, supremi luminis seu mentis beneficio, & auxilio idearum seu doctrinæ, sensim, per tot ignorantiæ obscuros adytus euadant. Quid enim, per Deum immortalem, animū hominis magis excolere, magisq; potest in statu perfecto collocare? quàm ista scholarum consuetudo, qua ueritatis studio, doctissimorum contentionibus ac dissensionibus, philosophia ac planè omne doctrinarum genus multum augmenti atq; honoris consequitur? Nunquam sanè ad eam perfectionem, & in tātum honorem Græca philosophia peruenisset, si perpetuo silentio, tanquam cimerijs tenebris obruta, iacuisset? Nunquam eo doctrinarum splendore Athenæ claruissent, nisi philosophorum factiones atq; sectæ, inter se ex professo dissensißent. Illa illa inquam Stoicorum Academicorumq; ac Peripateticorum, nunc leuia certamina, nunc ueluti collatis signis iusta dimicatio, hanc lucem Peripateticæ doctrinæ nobis peperit. Et adeò certis uestigijs ipsam ueritatem cōsecuta est ut Peripateticæ philosophiæ inuentis nec ipsa natura repugnaret. Quamobrem parens eloquentiæ Cicero meritò suos hortatur, ut hanc laudem disputationum iam languenti Græciæ eripiāt, & perferant in Romanā urbem, sicut reliquas omnes, quæ quidem erāt expetendæ, studio atq; industria sua maiores transtulerunt. Ac utinam nostris hominibus, id quoque

quoq; imprimis curæ esset, laudem disputationũ Italicarum, ac ingens studium literarum et honorificum ad se etiam transferre, sicut genus uestis, morumq; utinam non deteriorum, maximam partem effinxerunt, atq; in Sarmatiã inuexerũt, breui sanè tempore Italicis studijs aut minimum, aut mediocriter egeremus. Non deest etiam Polonis ingenium, non industria solertiáq; singularis, hac una re inferiores sumus alijs nationibus, quòd maiorem curam in corpore curando, quàm animo excercẽdo, collocamus. Non nouercam omnino naturam in hac parte nos quoq; expti sumus, modo nobis cultura non desimus, Græcos atque Italos imitati. qui suas respublicas duplici exercitationũ genere munitas & ornatas esse uoluerunt, quòd corporis ualetudinẽ, uirésque conseruãdo, uim animi, ad apicem uirtutis atq; naturæ absolutæ perduceret: efficeretq; ut in beata fortunatáq; republica, sine iniuria in pace uiuatur. Eã itaq; Scholarum causam esse ex his quæ diximus, meo quidem iudicio, satis constat. Verum ut facilius appareat ac ueluti propalam collocetur, salutem & tranquillitatem reipublicæ, Scholarũ recta institutione contineri, rem ipsam, & in uninerso corpore reipublicæ, & ferè per singula eius membra contemplemur altius, atq;

pertractemus

pertractemus. Nam ubi illud constiterit, Scholarum uidelicet finem, salutem reipublicæ esse: tum demum paruo admodũ negotio cõsequetur, curam gymnasiorum ad eos potissimum ptinere, qui debent pro officio suo, saluti & trãquillitati reipublicæ prospicere.

SCHOLAS BENE INSTITVTAS REIpublicæ seminarium esse

CAPVT II.

QVi ergo rempublicam auctam & florẽtem esse uolunt, duobus modis id se commode facturos existimant, censu instituendo, & procreandis liberis. Etenim quẽadmodũ utraq; ea re munia reipublicæ, in pace ac bello, expeditiora fiunt, ita si utrumq; de republica demas, non modo nulla munia, sed nec ipsa quidẽ respublica consistet. Qua quidem re, Seruius Tullius, sextus Romanorũ rex, admonitus, primum omnium, censum instituit, rem, authore Liuio, saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisq; munia, nõ uiritim, ut ante, sed

pro

pro habitu pecuniarum fierent. Et quia uis pe=
cuniarum, cum ipsius pacis tum belli neruus ẽ,
classes ordinesq; census, non sine certo honore
esse uoluit, ius supremum suffragiorũ, pro ra=
tione gradus partiti census, primoribus ciuita=
tis tribuendo. In procreandis autem liberis, ã=
plificandáq; republica ea parte, quanta ueteri=
bus & Græcis & Latinis cura fuerit, uel illud
documento esse potest, quòd mariti & immu=
nitate donarentur, & afficerentur honore, cæ=
libes & iactura rei & ignominia plecterentur.

Cum enim uidissent sapientissimi legumlato=
res, uires reipublicæ, pacis studio, & armorum
peritia censeri, ac utriusq; rei, belli & pacis,
ueluti fomentum quoddam, & iuuentutem, &
pecuniam esse, census rationem prudẽter, & sũ=
mo consilio, institutam, sobole tanquam semi=
nario reipublicæ instructã & auctam insup esse
uolentes, utrumque iusti honoris prærogatiua
honestarunt, quò ita alacriore & promptiore
animo, ad augendam rempublicam utraque re
homines ducerentur. Quamquam si penitius rẽ
ipsam intra nos æstimemus, facilè apparebit, nõ
ita hoc, prudentes illos homines, institutum ui=
deri uoluisse, quasi ex sese cẽsus et liberi, si cæ=
tera negligas, ad iustam propagationem rei=
publicæ satis sint. ut enim pecuniæ colligendæ
ratio

ratio nullo respectu honesti, quam Græci χρη=
ματισικὴν appellant βίαιοσ τισ id est uio=
lentum quiddam est, quòd sæpenumero hominũ
mentes percellit, sæpe ius & phas uiolans, ut
legum & hospitalitatis iura perumpit, ut illi
poëtico locus sit.

quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Ita simplex ista liberorum procreatio, nulla
neque educatione, quæ caput uirtutis est, adhi=
bita, neque institutione, quæ naturam uel im=
probam saluberrimis disciplinarum præceptis,
in bonam frugem producit, plus incommodi re=
bus publicis, quàm emolumenti adfert. Multo
plus detrimenti attulit reipublicæ pater Ver=
ris, cum illam tam tetram pestem, facem reipu
blicæ ingensq; portentũ Verrem produxit, q uã
si nullis unquam liberis patriam adauxisset: Ne
q; enim tantum furem Roma, cum suo, iudicio=
rumq; suorum dedecore, pertulisset, grandẽq;
sibi ipsi notam inussisset: neq; in tam aperta in=
iuria, prouincias suas, socios uectigales, amicas
ciuitates diu tenuisset priuatim & publicè. Non
uiseretur qui templis deorum immortaliũ ex=
poliatis ac denudatis, domum suam magnificè
ornaret, statuis, signis tabulisq; pictis, ac peri=
petasmatis direptis compilatisq;, per uim &
fraudem

fraudem. Idemq; ipse Verres non minore iactura tum rēpublicā affecit, cum prætextatum filium in prouinciam secum duxit, ut suorū furtorum & facinorū, omnis generis, quæ & crudeliter, & libidinosé gessit, non testis modo ac spectator esset, sed propemodū discipulus. Quid enim ibi mali non uidit ætate iam adulta filius, inter impudicas mulieres ac dissoluta conuiuia? Quid spei potuit patria concipere de puero, educato tā dissolutè & turpiter? Quo sanè nomine & ipsemet Cicero Verrem insectatur, ut qui maxima iniuria patriam affecerit, tali filio edito, his uerbis. Quibus in rebus non solum filio uerumetiam reipublicæ, fecisti iniuriam, susceperas enim liberos, non solum tibi, sed etiā patriæ, qui non modo tibi uoluptati, sed etiam qui aliquando usui reipublicæ esse possent. Eos instituere atq; erudire, ad maiorum instituta, atque ciuitatis disciplinam, non ad tuas turpitudines, debuisti. Esset incerti, atq; impuro, & improbo patre natus & pudens, & probus filius, haberet aliquid abs te respublica muneris, nunc pro te, Verrem alterū sustulisti ciuitati. Hæc ille. Palam aperteq; innuens, seminarium reipublicæ esse, non liberos quouis modo in lucem editos, sed qui bonis moribus sanctisq; disciplinis simul cum ipsa ætate imbuuntur. Et sicut non

satis est, si quæuis semina sulcis mandes, ut bonas fruges percipias cum fœnore,

ni uis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret:

Alioqui parua & mala serens, minora metes deterioráq;. Sic ad segetem reipublicæ propagandam, non quouis semine, nec quibusuis liberis opus est, sed bonis artibus institutis, ne solo numero oneri magis reipublicæ sint quàm honori. Fabij, Scipiones, Marcelli maximo patriæ suæ ornamento, ac emolumento extiterūt, propemodum difficillimis tēporibus, cum exultantis Annibalis impetu ac conatibus repressis, patriam propè iam desperatam, in prioris fortunæ sinum multò quàm antè clariorem reposuerunt. Ciceronem patrem patriæ Roma dixit, quòd eam conspiratione & apparatu coniuratorum funditus iam ferè ipsorum animis euersam, consilio & uigilantia sua, summo timore ac periculo liberauit, adeo ut salutem suā, coniugum, liberorumq; suorū, Senatus, populusq; Romanus, uni illi, uno omnium ore, se debere publicè faterentur. Quod quidem neq; Fabij, neq; Scipiones, ac Marcelli unquam efficere potuissent, si à parentibus suis, omnibus uirtutum & studiorum ornamentis destituti, solum in lucem ederentur. Vis educationis, morum ac dis-

tiplinarum recta institutio, ingens momentum attulit, ut illi tam benè de republica mererentur. Atq; ipse Cicero, quicquid ad rempublicam attulit, à doctoribus atq; doctrina instructus, ad eam & ornatus accessit. Vt minimè mirū uideri debeat, propemodum scriptorum genus omne, non parum studij ac operæ in laudanda puerili educatione posuisse: ut cætera omnia præ hoc uno, ludum & iocum esse existiment. Nā Plato cum aliâs, tū in eo dialogo cui Euthyphroni nomen dedit, sic scribit. Imprimis curam iuuenū haberi conuenit, ut quā optimi efficiātur. Subijcit rationem ex simili. Quemadmodum par est, ut, & bonus agricola, primum quidem tenellarum plantarum curam, post deinde cæterarum quoq; suscipiat. Et rectè quidem id Plato, ut enim teneræ plantæ, & in curuum sensim abeūnt ni arte prohibeas, & uentorū procellas, leuemq; frigoris uim malè ferunt, nisi fascijs obliges: Ita molles animi puerorum, flexiles quidem in utrumq;, at in uitia proniores, facilè in prauum indurescunt, nisi educationis fascijs, ac disciplinarum fulcris & tibicinibus sustentati, in eruditionis uirtutisq; profectum exeant, & firmentur. Aristoteles item, in libris de uita & moribus, dum uirtutem neq; natura esse, neq; præter naturā disserit, sed eius

quidem semina, ab ipsa natura oriri, exercitatione autem perfici, atq; usu: quòd ea quæ nos facere oporteat, non ante faciamus quàm discamus, discimus autem faciendo, ueluti fabricando fabri, pulsando citharā citharœdi, iusta agēdo, iusti sumus: Illud deinde addit. Ciues exercitatione ac usu bonorum bonos effici, idq; esse legumlatoris propositum, eum uerò qui aliter facit, peccare: interq; bonam & malā rempublicam hoc interesse, quòd in illa exerceantur ciues artibus bonis & uirtute, in hac artibus malis & uitijs. Postremo concludens. Non parum (inquit) refert, hoc uel illo modo statim à teneris assuescas sed plurimum, imò uerò in hoc posita sunt omnia. Quod etiam Xenocrates, grauissimus philosophus, uidetur confirmasse, cum amplissimos honores publicè sibi decretos, puerorum, qui disciplinis & artibus operam darent, ferijs, ludo, iocoq;, quæ sibi mortuo uoluit publice fieri, posthabuit. Sic Xenophontis illa Cyripædia, non ad fidem historiæ scripta (ut Cicero ad. Q. fratrem author est) sed ad effigiē iusti imperij, diuina educationis præcepta continet, grauiter & sapienter tractata, quæ singula recensere longum esset, illud breuiter & commodè dictum est. Videtur huic ætati maiorem in modum diligentia opus esse. Proptere-

rea non sine causa Africanus, opus hoc tā præclarum Xenophontis de manibus ponere non solebat. Talibus sanè præceptis ad educationem pertinentibus, libri philosophorum referti sūt. Neq; tamen ea pars poëtis etiam neglecta est, qui quidem puerilibus ingenijs nondum adultis, ueluti tenerioribus infantum corpusculis lactis potio, longè mihi uidentur esse aptiores, modò obscænitate uacent, quàm ille ipse solidior philosophiæ cibus. Nam philosophorū lectio, maturam & adultam ætatem, ingeniumq; iā stabile requirit: Poëtæ autem, quod aures & animos eorum, qui, non tam iuditio quàm delectatione, feruntur, et harmonia numeri astrictioris, & fabularum lepore, demulceant, fiunt pueris gratiores. Audi igitur Poëtam Satyricum, quid de nostra hac educatione sentiat, in qua nos nō leue sanè momentum esse dicimus, ad semina reipublicæ bene & fæliciter iacienda.

Nil dictu fædum uisuq;, hæc limina tangat
Intra quæ puer ē, procul hic procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia: si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Et mox

Gratum

19

Gratum est quòd patriæ ciuē populóq; dedisti
Si facis ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Vtilis & bellorum, & rebus pacis agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc tu
Moribus instituas.

Quid ingeniorum fons Homerus? nónne idem uidetur uoluisse, cum Phœnicem præceptorem Achillis, ita inducit loquētē? Vt quidam Latinè reddidit.

Me tibi eques senior Peleus dedit illo
Tēpore, quo Phtia regi te Agamēnoni misit
Expertem puerum Martis, qui est omnibus idē
Cōctúsq; rudē, q fert decora alta uirorum,
Ire igitur comitem iussit, quò te ista docerē
Μύθωντε ῥητῆρ᾽ ἐμμέναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. μύθων τε ῥητῆρ᾽, ἔμεναι πρηκτῆρα τε ἔργων

Scitè & breuiter, Grecus Poëta in uno Achille, omnium græcorū firmo propugnaculo demōstrauit, quanta uis esset honestæ educationis ac institutionis, ad tuendam reipublicæ salutem in pace & in bello. Quapropter & Fabius mirus artifex pubis instituendæ, ideam perfecti Oratoris effingens, ut qui, dubijs reibublicæ temporibus, propugnaculum, ac ueluti sacra quædam ancora esset, in foro ac Senatu, rudem eius animum à primis statim cunabulis, uirtutum & scientiarum adminiculis format, quòd existimet absq; utraq; ea re neminem, neq; nomen propugnatoris

gnatoris patriæ consequi posse, neq; reipublicæ usui fore. Multa quidem huiusmodi, ex omnibus ferè authoribus dici possent, nisi in re tã aperta nec unquam controuersa, tot uerbis minimè philosophandum putaremus. Quis enim adeo impotentis animi est, qui non uideat, liberorum propagationem, reipublicæ seminarium esse, sed ita si educationis & sciẽtiæ uis accedat. Si enim animus ita excultus ac curatus ut ne caecetur erroribus (quemadmodum author Cicero) ipsa est perfecta mens, id est absoluta ratio, quod est idem uirtus, quæ quidem & tardis mentibus non facilè comitatur, & ad rempublicã rectè atq; sapienter gubernandam, utilis est, consequens sanè est, iuuentutem uirtutibus ac disciplinis excultam, reipublicæ seminarium esse. Et si hæc uera, ut sunt, concesseris, etiam scholas bene institutas, seminarium reipublicæ esse, cõcedas necesse est. Scholas enim uirtutum studiorumq; omnium officinas esse oportet, non uoluptatum ministras ac ocij, ut habeat respublica in sacris & prophanis, unde, tanquam ex diuite penu, ordines magistratuum, ad belli pacisq; munia sapienter obeunda & fortiter, sufficiat. Hinc respublica sanctis Episcoporũ exẽplis, docto ac pio sermone concionatorum, honestis uiuendi formulis præsbyterorum amœnissimum

simum Christi ecclesiæ hortum conserit. Hinc iudicum prudens integritas, cauta Imperatorum solertia, & paciens militum obsequium, abunde subministratur. Itaq; ut semel finiamus, ex republica hij qui reipublicæ capita sunt, iureq; optimo facere uiderentur, si primam curam in Scholis rectè instituendis ponerent, cum id esse reipublicæ seminarium, uel ex his quæ diximus, satis constet. Nimirum uel quòd rudis illa ac sola liberorum procreatio, rerum publicarũ certa sit pernicies: institutio, incolumitas & salus: uel quòd probatissimi quiq; scriptores, non tanto studio de educatione præcepissent, nisi ea ipsa salutem reipublicæ putassẽt contineri: uel quòd uirtus sine qua respublica non modo esse sed ne dici quidem potest, aliud nihil sit, quam recta ratio moribus & artibus bonis instructa, eademq; ipsa mens perfecta. Quanquã autem nemini dubium est, qui uel à primo limine philosophiam salutauit, tres illos status seu formas reipublicæ, uidelicet Monarchiam, quæ in regnum & tyrrannidem diuiditur, Oligarchiam, quæ constat paucorum ac optimatũ potentia, Democratiam, quæ et uniusmodi est, et arbitrio populi gubernatur, disciplina & omnium uirtutum societate contineri. Vt enim corpora animis, sic omnes respublicæ sapientia, uirtute, disci-

disciplinis, continentur, ne dissipentur ac destuant: Dimisso tamen optimatum & populari statu, uerba de sola Monarchia faciemus, partim quod illa nostro sæculo perrara sunt, partim quòd ad nostram Polonam rempublicam, cui hæc potissimum scribũtur, & quæ unius dominatu regitur, parum admodum pertineant. Quo uel ita palam sit, primum hanc ipsam rempublicã quæ Monarchia apellatur, plurimũ sapientiæ, scientiæ, uirtutumq; omnium indigere, ijsq; ipsis rebus tanquam firmis mœnibus salutem suam decusq; omne tueri. Deinde Scholarum institutionem & curam, quæ officinæ sunt & ministræ artium & uirtutum, eorum imprimis interesse, qui principes reipublicæ, munia reipublicæ sustinent. Neq; id uni reipublicæ membro prodesse, sed omnibus in commune, ac honoratioribus imprimis, quiq; in republica in aliquo precio sunt & habentur: quod deinceps & generatim & persingula eiusdem reipublicæ membra prosequemur.

SAPIENTIAM, ET RECTAM EDVCATIONEM, ad Monarchiam potißimum, hoc est Vnius dominatum pertinere.

Caput

CAPVT. III.

INter præcipuas igitur formas reipublicæ, quas usu mortalium inuentas, & comprobatas philosophi, qui de uita & moribus disputant, in diuersis locis exposuerunt, iure quidẽ optimo primas sibi partes uẽdicat Monarchia. Nam cæteræ, si penitius rem ipsam introspicias, plures discordiarum occasiones ex sese ueluti eructando, & à prima illa simpliciq; natura, qui Deus est, multitudine & uarietate sua longius recessisse, & naturæ humanæ uim infectam plenius retulisse, uidebuntur. Hæc una respublica: & paucioribus malis obnoxia est, ut ferũt hominum mores & praui & corrupti, & ad illam diuinæ naturæ simplicem prouidentiam, qua cuncta gubernantur, proximè, simplicitate ac unitate sua, accedit, illam diuinæ immortalisq; reipublicæ, in qua à nutu unius cuncta dependent, faciem referendo. Verũtamẽ ut præclara est ac præstans, & facilè cæteris antecellit, ea reipublicæ forma, ita multis periculis, uarijsq; malis obnoxia est, priuatim et publicè. Et ni sedulò caues, ni prospicis, ni omnem impendis operam, à primis statim ãnis in rege optimis institutis imbuendo, efficies, ut regnũ cæteris

teris conspectius & præstantius, ruinam omnibus alijs longe calamitosiorem & conspectiorẽ habeat. Quemadmodum enim, ut uates Lyricus inquit,

Sæpius uentis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidũt turres, feriũntq; sũmos
Fulmina mõtes:

Ita & ea respublica, quæ unius dominatu gubernatur, quo maior & conspectior est, eo conspectius & grauius fortunæ fulmen sentit. Proinde, si non præcipua cura in hoc incumbas, ut rempublicam sapientia, prudentia, honesto uirtutum ac educationis uallo, cæterisq; fructibus disciplinarum, obmunias: si non peruigiles excubesq;, castra reipublicæ aut assiduo impetu uitiorum oppugnata in perpetuo erunt periculo atq; metu, aut funditus euertentur ruentq;. Ac ita regnum natura sua præclara res, ab ipsa sui perfectione turpiter degenerans, in tyrannidem, genitricem iniuriarum, uel ipso tyranno teste, abierit. Vt enim ager per sese fertilis ac ferax, neglectus cum maiore rei familiaris iactura sterilescit, pro frugibus tribulos lappasq; producens: & semina ni multo spectata labore & selecta, aliqua arte adiuues nitro uel amurca medicãdo (quemadmodum grauissimus poeta sentit) facile in deterius abeunt atq; degenerant: ita & ea respublica, nisi disciplinarum ac morum, ut sic dicam, amurca ueluti medicetur, sensim in deterius abit. Quapropter & maximi quiq; ac prudentissimi imperatores, aut mole iam suscepti oneris depressi, aut deponere imperium cogitarunt, quod tradunt Octauium Augustum attẽtasse, facturumq; omnino fuisse, ni se priuatum multorum insidijs obnoxium ac propemodum expositũ putasset fore, aut omnino deposuerunt, ut Maximianus, & Diocletianus: qui hortorum amœnitati uacans, cum iterũ ab imperium solicitaretur, nullos sibi unquam soles lætiores affulsisse testatus, a uita priuata abduci non potuit: aut certe oblatum cunctanter susceperunt: quo animo fertur fuisse Tiberius, qui seu dissimulatione, ut animos Senatus citius in se cunctantem inclinaret, seu re uera rerum magnitudine, ac uario exitu regnantium exterritus, difficiliorem ac duriorem se ad fasces imperij suscipiendos exhibuit, Senatumq; quod se precibus cogeret, increpuit, quasi ignarum quanta belua esset imperium. Et Lycurgus Charillum una cum crepundijs in Phidition delatum, loco sui Spartæ regem renunciauit. Magna siquidem res est, ampla, splendida, præclara, imperium, sed præceps ac dubia nisi ita te geras, ut sicut honore cæteris õnibus antecellis

tecellis, ita uirtutum splendore, morumq; honestate, multa ac uaria eruditione, tanquã muro adamantino, castra reipublicæ supra omnes alios obmunias et obfirmes. Regnum omnium maximum in Europa, Dionysius iunior Syracusarũ Tyrannus, inertia ac ignauia sua perdidit, quod eius pater adamante munitum gloriabatur. At Dion, ut qui & magnitudine animi, & sapientia præstaret, in rebusq; agendis solertia, regnum Syracusanum, perditum ignauia tyranni, ac oppressum ferina crudelitate, prudentia, sapientiaq; singulari, ex studio philosophiæ Platonicæ collecta & conquisita, in libertatem, pristinumq; nitorem restituit. Nec me mouet, quòd Dionysius non omnino literarũ expers esset: erat enim doctus à puero (quẽadmodum author est Cicero) & artibus ingenuis eruditus, Nam & Tragædiã reliquit & quędam Epigrammata. Etenim eam eruditionem aio ad monarchiam pertinere, quæ cum iustitia, fortitudine, temperantia, liberalitate, & alijs eiusmodi uirtutibus, à quibus omnino Dionysij doctrina abhorrebat, cõiũcta est: ista enim turpis ingenioli ostentatio, & uana captatio gloriolę, pestis acerba ac lues est, tantum abest, ut ad salutem reipublicæ pertineat: potius iā cum Platone ac Cicerone calliditas, quàm sapientia est

est appellanda. Quemadmodum igitur in hac pulcherrima mundi fabrica, quam omnes oculis intuemur, quam miramur, quãq; unius Dei singulari prouidentia gubernari atq; dirigi nõ dubitamus, maxima sapientiæ momenta uisuntur, ex illo rerum omniũ pulcherrimo ac iustissimo ordine, ex ortu obituq; signorum mirabili, ex temporum ac rerum uicissitudine: Ita regnorũ incolumitatem salutemq; ex sapientiæ, scientiæ, ac eruditionis momentis maximè dependere, tã clarum id est, quàm hoc lumen cœleste palam tuemur ac cernimus. Hoc namq; uno uel maximè regni maiestas eminet, hoc, in spleudidum summi honoris fastigium, tollitur. Atq; etiã studium philosophiæ & literarum, quòd uirtutis continet, & officij & benè uiuendi disciplinam, uel ob hoc ad monarchiam magis pertinere uideri debet, quòd in alijs rebuspuplicis effectus plerumq; uarios producens & obscuros, frustratur sæpius fine suo: in monarchiã uix unquã temerè & frustra incidit philosophia, quin eum quem nacta est, non moderatum, temperantem, atq; æquabilem, ad utriusq; fortunæ casus efficiat: fiuntq; hæc ipsa literarum & philosophiæ studia, in regno quàm in reliquis formis reipublicæ longè c[illegible]spectiora. Vbi enim unus princeps, diuino beneficio reipublicæ contingit, qui & [illegible] datum

datum ex philosophia sensum haberet, & omnia sola uirtute metiretur, dictu mirum, quàm subitò, quamq; nullo ferè negotio, omnium subditorum animos ad suæ uirtutis imitationem pelliceret, efficeretq; ut in beata ac fortunata republica, absq; ulla iniuria, in pace uiuatur. Hinc Octauius Augustus instructus Græcis & Latinis ltteris, moderatè cum fœlicitate maxima, summoq; pacis studio, Romanum imperium administrauit. Traianus non medioeri in ciues suos clementia, mansuetudine, honestisq; moribus, optimi cognomen, consensu omnium, adeptus est. Marcus Antoninus Phlosophus, sanctissimis philosophiæ præceptis, ita Romanos gubernauit, ut longa sui desyderia, tanquam acres aculcos, in omnium animis moriens reliquerit. Quorum omnium & sapientia, & bonitas uix tantos tamq; conspicuos uirtutis suæ fructus extra reipublicæ regniq; gubernacula, edidisset. Cætera enim species reipublicæ, quòd ab illa regni unitate ac simplicitate recedunt, et uulgi arbitrio ducũtur, ac ferè ex ipsius temeritate propendent, pro sapientia stultitiam, pro eruditione inertiam, ut stipulæ flammam, facilè concipiunt, neq; sinnut excellentis uirtutis splendorẽ, ceu flammam, inuidiæ fumo depressam, altius emicare adeo, ut non possint ea disciplina præ-

cellere

cellere, qua, μετὰ νοῦ διοικεῖται πόλις, quòd ea ipsa recta administratio ciuitatis, penes paucos, uel certè penes unum, quærenda sit, in alijs autem rebuspublicis, sola inest imitatio boni, uel mali. Quod quidem facilè cernas licet, duarum ciuitatum, qui totius Græciæ oculi uocabantur Athenarum & Spartæ, respub: inter se comparando. Tranquilliore magisq; æquabili & diuturniore imperio Spartani quàm Athenienses usi sũt. Nam Lacedæmon post accessionem Doricorum, perdiu seditionibus agitata, tamen iam inde ex ultima uetustaee, & bonis legibus prædita, & libera tyrannis fuit. Sunt enim anni, circiter trecentos & paulo plures, ad finitum bellũ Peleponnesiacũ, ex quo Lacedæmonij eadem administratione utuntur. Hiq; soli toto orbe terrarum septingentos annos amplius, unis moribus, & nunquam mutatis legibus uixerunt. Athenæ uix quinquaginta annis, à discessu Xerxis è Græcia, ad initium belli Peloponesiaci, pacato imperio potitæ sunt: nã postea adeo tumultibus ac factionibus domesticis exagitabantur, ut iugo triginta tyrannorũ premerentur. Spartani bonis regibus moderatisq; ferè semper usi sunt. Athenienses pessimos exitus sæpius, propter præceps imperatorum consilium suo malo sunt experti: quos si quãdo bo-

nos

nos nacti sunt, leuißimis eos de causis, ob rem fortuitò malè gestam, multabant exilio, idq́; ipsius uulgi contentione, ac diuersis studijs τοῖσ δὲ ταῦτα πεπεισμένοισ τοῖσ δὲ ταῦτα. nec mirum, quandoquidem teste Xenophonte, populus apud Athenienses, lex est. Lacedæmonij sanctissimis Lycurgi legibus, parendo studiosè, nihil pro sua libidine & cupiditate admittunt, sed quod ipsis legibus, quod institutis maiorum cõstitutũ est, id agunt & obseruãt. Quid? in decernẽdo ac eo exequẽdo de quo statuũt, quàm leues Athenieñ. Cũ uidelicet maxima quæq; decretis suis aggredientes, ne minima quidẽ exequuntur. Et quod omnium est maximum, Omnes alij homines priusquam quicquam faciant, solent inire consilium, Athenienses confectis rebus, id agunt. Quid simile apud Lacedæmonios? Summa Reipublicæ, penes regẽ est, ac Ephoros, uulgus non imperat, sed paret. Quin ipsimet principes, maximè in magistratibus, parent Spartæ, et humiles esse, currẽdoq; potius quàm incedendo cum uocantur obedire gloriosũ cẽsent, facilè futurum existimantes ut & alij sequantur, siquidem ipsi uehementer obtemperando principes fuerint. Patet igitur ex his quæ diximus Spartanorum rempublicam, ut pote quæ longius à statu populari recesserit, Atheniensium

niensium republica quæ tota popularis est, æquabilius et commodius gubernari. Quid ita? cum neutra philosophiæ, eruditionis ac educationis expers fuerit? ipse præsertim õniũ doctrinarum inuentrices & altrices Athenæ? Quia eruditionis, philosophiæ, rectæq; educationis illa uis, ubi in unius dominatũ inciderit, effectus longè clariores, & efficatiores in eo, quàm in statu populari producit, maioresq́; casus excitat, & pericula grauiora in regno, philosophiæ ac educationis neglectio: nimirum in teterrimã illam rerumpublicarum pestem, tyrannidẽ scilicet, pulcherimuum reipublicæ statum trãsmutando. Ita ut potissimum sapientiæ rectæq; educationis ac ex eo scholarum studium, ad monarchiam dominatumq; unius, iure optimo pertinere uideatur.

SACERDOTVM ORDO, QVANTVM AD rempublicam adfert mali, ab recta institutione atq; literis alienus, tantum rursus ad omnium salutẽ confert, eruditione & uirtute.

CAPVT. IIII

Verum ne cuiquam dubium sit, instituendæ iuuentutis rationem, omnia reipublicæ membra complecti ac continere, non unã aliquam partem tueri, ipsa monarchia in sua membra haud incommodè, diducenda nobis uidetur, ut id quod quærimus exactius, ac expeditius appareat. Corpus igitur monarchiæ, uno summo principe tanquam capite constans, in duo genera summa, quasi quædam membra diuiditur, in sacrum ordinem & prophanum. Sacer ordo est eorum qui diuino oraculo, & uulgo, nunc spirituales κατ᾽ ἐξοχὴν fortasse uocãtur, quòd à carnis affectionibus maximè omniũ mortalium semoti esse debent, nunc præsbyteri, quòd ætate & honore antecellunt, nunc Episcopi, quòd ad gregem dominicum speculantur, nunc nomine generali dicũtur Sacerdotes quòd præsint sacris. Prophanus constat, primum, supremo regis honore, deinde senatu, postremo, ijs qui parẽt. Nihil autem est, quod lumine clariore inter mortales præfulgeat, ordine sacerdotum, nihil quod magis in utramq; partem seu ad perniciem, seu ad salutem reipublicæ pertineat. Etenim cum sacerdos legis diuinæ antistes sit, uirtutumq; omnium et disciplinarum custos, quibus respublicæ et conseruantur & ornãtur, in ipso corpore reipublicæ ita resplendet ac

refulget,

refulget, ut in hoc mortali corpore oculi, in animo mens, qui quidem sacer ordo, alijs in republica omnibus, clarißimum certissimumq; se ducem præbet. Nam ubi hijs quæ diximus præfulget, omnes alios ordines, ueluti solis lumen stellas, suo splendore illustrat ad sui imitationẽ cunctos impellens. At si uirtutum lumine, disciplinarumq; radijs destituitur, tum gemino incommodo rempublicam afficit. Primum omnes mortales in sui contemptionem atq; odium inducit. Neq; enim ullum unquam genus hominũ despicatius esse potest, ordine sacerdotũ, si uirtutum ac disciplinarum careat ornamento. Locupletissimus eius rei testis est, nostrorum tẽporum inertia, qua nos in omne turpitudinis ac scelerum genus, ijs, quæ uerè nostri officij sunt, sepositis, abijcimus, qua, pro honestate qua cunctis præire debeamus, turpitudinen induimus, qua deniq; duro et audaci ore, perfricta omnino fronte, cum summo ordinis nostri dedecore atq; offensione, cum probro atq; despectione, in omnium uoluptatum turpisq; lasciuiæ cœno uolutamur. Testis & ipse propheta Malachias, dum inquit, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, legem]: ex ore eius requirent: legatus enim domini exercituum est, uos autem recessistis de uia, & offẽdiculo posito, multos in lege impin-

gere

gere fecistis, et corrupistis fœdus Leui, dicit do=
minus exercituum, Reddam ergo ego & uos
contemptos & abiectos coram omni populo,
quòd uias meas non custoditis, facieśq; in lege
recipitis. Neq; alio sanè consilio uas electionis
Paulus Timotheum suum exhortatur, cum se
populo christiano exhibeat & præparet, ne
quis suam adolescentiam contemnat, quàm, ut,
& uirtutũ splendore, & sapientiæ lumine, &
uitæ sanctitate, præluceat. Nam ubi his carēt
sacerdotes, statim despicatissimi habentur, eoq;
incommodo rempublicam afficiunt, quòd san=
ctissimum ordinem, cui omnes decet parere, au=
thoritatemq; eius uenerari & colere, in contē=
ptionem adducunt, unde odia, dissidia, discordiæ,
seditiones, nonnunquam bella nascuntur, atq;
reipublicæ tranquillitas uiolatur. Hoc igitur
primum est incommodum quo sacer ordo uir=
tute ac literis destitutus afficit rempublicā. Al=
terum est quod suo contagio omnia crassißimis
ignorantiæ ac nequitiæ tenebris inuoluit. Qui=
uis enim sacerdotis est officium, cœlesti illo pa=
bulo & rore uerbi Dei, oues suæ fidei cōmissas
reficere, de uia salutis aberrantes in tenebris,
ad Christi ouile reducere lucerna uerbi Dei,
quod sanè, secūdum domini apostolos, absq; in=
stitutione & doctrina, contigit adhuc nemini,

tamen frustra is donum scientiæ habeat, qui &
moribus inquinatis, & turpitudine uitæ, luxu,
auaritia, orationis suæ authoritatem & fidem
doctrinæ imminuit. Coniuncta hæc oportet esse
in ministro domini sacerdote, ut, quæ doctrina
salutari exædificat, uitæ sanctitate confirmet.
Nam sicut plurimum habet momenti in homi=
ne Christiano, ut æquales suos ad uirtutis studiū
impellat, sola sine omni turpitudine honestè a=
cta uita, sola autem ista erudita turpitudo, om=
nem persuadendi gratiam cito perdit: ita in du=
ce dominici gregis sacerdote, qui & sal est &
lumen testimonio scripturæ, utrumq; simul iun=
ctum, & uitæ honestas, & doctrina, non me=
diocrem in Christi uinea fructū parit. Scribæ &
Pharisei tumidi doctrina scripturarū, ferè sin=
gulis sabbatis per Synagogas legem docebant
quidem, sed ob turpitudinem uitæ paucos suæ
opinionis habebant sectatores, quinetiam plu=
ribus fuerunt exitio malè uiuendo, quàm benè
docendo saluti, nā à senioribus Hierusalē egres=
sa est iniquitas super omnem terrā. Christi doc=
trina primum diuina uirtute singulari, in ho=
minum aures infusa adeò radices egit atq; pro=
pagata est, ut nullis minis & metu, nullo tor=
mentorum, nullo pænarum & mortis genere,
ex hominum mentibus euelli potuisset, Quid

ita? quia apostoli ueritatem doctrinæ suæ et mi-
raculorũ maiestatem, uitæ sanctitate, modestia,
temperantia, castitate, alijsq; eius generis uir-
tutibus exornatam in omniũ animis confirma-
bant. Nusquam certè maiore Christianæ rei dis-
pendio, quàm in huius sacri ordinis neglectione
peccatur. Etenim si quid in alijs magistratibus
inest uitij, si errat rex, aut deflectit de spatio
curriculóq; uirtutis ipse Senatus, manet quidẽ
rempublicam certa & minimè dubia pestis, sed
quæ in sola corpora aut fortunas ciuium rabiẽ
suam exercet. At cæcitas & error sacerdotis,
summaq; legis diuinæ ignoratio, atq; sanie et ta-
bo uitiorum, scatens uita, animarum certissima
est pernicies, quas secum ex perfecto & alto
uitæ honorisq; gradu, in acerbam mortem præ-
cipitat. Cum igitur nemini dubium est, modo nõ
sit talpa cæcior, illud sacri ordinis munus esse,
& scientia & honestis moribus cæteris ante-
cellere, ut & Christiano populo certum se du-
cẽ præbeat, & ne despicatissimus habeatur: Dã-
da omnino est opera, ut ad sacros ordines, aut
bonis moribus & doctrina imbutos, non ex pa-
rentum sinu uel aulis, sed ab scholis rectè insti-
tutis, petamus, aut certè eos, qui ita reipublicæ
christianæ præfuturi sunt ut doceant, à primis
statim annis, & honestis moribus & bonis lite-
ris

ris, imbuendos curemus: more institutoq; maio-
rum, quibus illud præcipuè curæ fuit, ut liberos
suos simul cum lacte ad uirtutem cõsuefacerẽt.
curã uerò nimiam opum aut honorũ, aut inpro-
uidentiam Dei reijcerent, aut eas ipsas res uir-
tute rectaq; institutione posteriores ducerent.
At uerò hoc nostro tam deprauato sæculo, proh
Deũm atq; hominum fidem, nihil tam alienum à
nobis liberisq; nostris esse debere putamus quàm
eruditionem, quàm doctrinam, quàm institutio-
nis curam. In hoc liberos nostros instituẽdos cu-
ramus, ut lucrentur, ut in purpura repant, ut
honores cumulent honoribus, non uirtute, non
eruditione, sed fautoribus. Idq; ut facilius &
commodius consequantur omnem mouemus la-
pidem, non quò in literis bonis, honestisq; mori-
bus in scholis proficiant (quî enim possunt? cũ
hic paululum admodum teneantur, & tenean-
tur non in hoc ut addiscant, sed ne domi uel no-
bis, uel familiæ, ut illa ætas insolens est, mo-
lesti sint) sed ut aulicis institutis imbuãtur, iustã
partem ætatis suæ consumunt in aulis, hoc est,
ut sciant ex arte genu flectere, de uia decedere,
non minus fortiter infligere, quàm excipere co-
laphum, dicaces esse impudenter, pulchrè blan-
diri, dies noctesq; perpotare, scortorum lustra
perscrutari, ubi res poscit ad omne conuitiorũ

 genus

genus obdurari: Breuiter, uultum suum ad omnes insultus, ita componere, ut omnes impudẽtiæ fines transgredi uiderentur: Illudq; poeticũ, quòd probro est, honori sibi esse ducerent, Duri puær oris et audax. Sed de primo ordine hactenus, nunc ad reliqua transeamus.

QVOD REX EDVCATIONE EXACTIORE, maiore uirtutum splendore, scientia & eruditione, si nõ sũma, at certè mediocri, ad salutem reipub: conseruãdã, indigeat.

CAPVT. V.

Natura prouida & sagax in omnibus, singularem prouidentiam & curã in apibus demonstrasse nobis uidetur, quòd regem nõ sorte eligi, neq; iuditio designari, sed nasci apibus uoluerit. Etenim apum rex, statim à primo exortu, & corporis habitu & animi, solus, cæteris antecellit

maculis auro squalentibus ardens,

quo, ut poëta inquit,

incolumi mens omnibus una sequendi
Amisso rupere fidẽ, constructaq; mella
Diripuere ipse, & crates soluere fauorum.
Ille operum custos, illũ admirãtur, & õnes
Circũstant, fremitu denso, stipãtq; freqũtes.
Et sæpe attollũt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulchrãq; petũt p uulnera mortẽ.

Quòd si natura parens omnium, hoc etiã in hominum genere fabricasset, regemq; nobis cum ipso in lucem exortu, certis quibusdam signis, et animi, & corporis, eo modo quo ipsis apibus, designasset, nullo neq; iuditio, neq; sorte, in quærendis ac designandis regibus eguissemus. Nũc quia alia est hominum, alia brutorum insectorumue cõditio (hæc enim rationis expertia, sẽsu ad id solum quod adest, quodq; præsens est se accommodant, parum admodum scientia, præteritum aut futurum: illi cum uirtutum & disciplinarum seminibus, quæ homini à natura inditæ sunt, spiritu insuper æthereo, scintilla mentis diuinæ, participant, qua cõsequentia cernũt, causas rerum uident ac earum progressus, atq; ea ipsa, quæ à natura quasi lineis rudibus adũbrata designantur, educatiõe ac recta disciplinarum institutione, ad uiuam quasi imaginẽ exprimunt ac perducunt) non tãta in natura humana, naturæ solertia requirebatur, in rege designando & formando, ut pote quem nobis educationis

ducationis uis ac disciplinarum usus, & finge-re potest, et uelut ipso digito demonstrare. Neq; enim rex manibus ac reliquis membris, ad regni salutem tantum potest, quantum animi et intelligentia & robore, quæ licet natura inchoentur, tamen institutione atq; exercitatiõe magis ualent & possunt. Regem itaq; qui & caput est reipub: & à regendo nomen habet præceptis ac institutis bene ac beate uiuendi imbutũ instructumq; esse oportet, si non modo dici, sed esse etiam uelit, id quod est. Si enim illud uerum est quod apud Platonem scriptũ legimus, regiam potestatem in iudicando (licet hanc facultatem, regis pedisequam ille potius esse existimet) ac in imperando consistere: Imperandi autem ratio & potestas in duobus est, ut primum tibi ipsi imperes, post alijs: Neq; enim quisquam recte imperare potest, ni prius recte seruierit, animi uidelicet & corporis perturbationes, rationis suæ imperio subijciendo, haud facile utiq; cuiquam utraq; imperandi ratio cõtingit ni munus illud diuinum philosophiam, ac præcepta de uita et moribus, rectamq; educationẽ, à primis statim annis, affectionibus hisce exturbandis, tanquam sacro igni recidendo salutare ferrum, adhibeat. Quẽadmodum enim cum apũ regibus alas eripis (ut Maro inquit) examinũ

Instabiles

Instabiles animos ludo prohibebis inani:
Sic etiam uitiorum ac perturbationum alis, ex regum animis studio et tractatiõe philosopiæ euulsis, mirum, quàm nullo pene negocio populi examina turbata, in summa & tranquillitate, & fœlicitate reponũtur. Vulgus enim ad regum imitationem impellitur, studiumq; suum transfert, iuxta illud

Scilicet in uulgus manant exẽpla regentum,
Vtq; ducum lituos, sic mores castra sequũtur.

Et sicut cupiditatibus principum & uitijs infici solet tota ciuitas, sic emendari & corrigi cõtinẽtia. Ergo rex sibi ipsi imprimis lex sit, hoc ẽ, ita se conformet animo & corpore, ne eius animus turpi cupiditati succumbens, humi repat, sed ad superna erectus, impotentes cupiditatis satellites, dolorem & uoluptatem, imperio suo ac potestati subijciat, qui quòd & contrarij & stulti sunt, & animum in preceps agunt, sũmo platoni συμβούλω ἐναντίω τε ἢ ἄφρονε, contrarij & stulti consultoros scite uocantur. Ita enim inter corpus & animum æternam pacem fœdus immortale, amicam & concordem coniunctionem efficiet. Alioqui quomodo is ad pacẽ & tranquillitatem reipublicæ leges ponet, qui ipse legi mentis suæ minime obtemperans, perturbationib9 factiosis agitatur ac uexatur? Quomodo

modo alijs iustam & moderatam imperādi ratione prascribet, qui nihil moderatum ac tēperans, nihil iustum, nihil deniq; pacatum, intra fines regni hoc est mentis suæ continet? Perinde atq; ebriosus, si ipse in cœno temulentiæ crebrius uolutatus, sobrietatis præcepta det, & libidinum turpitudini ad ambas usq; aures immersus regulam castitatis præfiniat. Documēto est impotens illud Neronis imperium, neq; utiliter aut ex commodo reipublicæ, neq; honestè atq; diu ab ijs imperari, qui prius sibi minimè imperantes, in omne se turpitudinis genus abiecerunt. Is enim belua immanis uerius quàm homo, post scelera in adolescentia patrata, occisoq; liberto potare quantum iuberetur recusante, & patrato cū sorore Lepida incesto, ad extremum in tantum sceleris ac immanitatis propemodum ferinæ euasit, ut non solum populo Romano unā ceruicē esse uoluerit, quò ita uno ictu cunctos necaret, sed ne matri suæ quidem, per quam in lucem editus est, pepercerit. At profectò Roma Neronem commodiorem faciliorem q; habuisset, si plus Senecæ, ad philosophiæ studium exhortanti, quàm matri dehortanti, paruisset. Non se in tot & tam ferinas turpitudines abiecisset, neq; tot cladibus culmen imperij Romani afflixisset. Illud tā durum, crudele, efferatum

efferatum Neronis ingenium potuisset facilè mitescere, ac ad meliorē frugē reuocari, si statim à prima adolescentia philosophiæ, quam contempserat, se dedisset. Vt enim canes truculenti uoce solita ac nota demulcentur, rabiemq; innatam deponūt, ita uis ista perturbationum & rabies, philosophiæ commētatione permulcetur ac se datur. Quia

Nemo adeo ferus est, ut nō mitescere poßit
Si modo culturæ patientē commodet aurem.

Clarius est igitur ipsa luce, studio philosophiæ, educationis ac institutionis fonte tū regis maiestatem, imperio aptam, atq; idoneam effici, cum furores perturbationum suarum, authoritate ingenij sui studioq; philosophiæ demulcet ac tēperat, ne impetu suo in præceps ferātur, ui mētis de gradu suo, quod dici solet, deiecta. Iā uerò ad imperandum ijs, quos tibi aut fortuna dederit, aut sors obtulerit, aut iudicium seu electio designarit, latißimos tibi sapientiæ ac prudētiæ fontes philosophia rectaq; institutio ministrabit, & uiuæ uocis oraculo, & scriptis & exemplis ut id ex commodo reipublicæ, ac eorum quibus præes emolumento poßit esse. Verùm nos rē in pauca reducentes, ac ueluti ad fontes digitū intendentes, capita quædam gubernandæ reipublicæ, indicabimus, quò palam sit peritiam imperandi

randi ac gubernandæ reipublicæ ex philosophia regibus petendam esse. Primum itaq; nullum ē uinculum quo respublicæ arctius contineātur (quàm) illa constante ac perpetua uoluntate ius suum cuiq; tribuendi, quæ iustitia nominatur, ut maximè omnium princeps ipsius iustitiæ præses custos, ac ueluti antistes esse debeat. Etenim, si Isocrati & oratori & philosopho credimus, Nulla est pietas Deo gratior, quàm probitas et iustitia regis, qua & subditi in officio fortius continentur, & regna conseruantur in flore et robore. Eaq; bene moratos reges olim constituendi potissima causa fuit. Nam cum, authore Cicerone, premeretur in initio multitudo ab his qui maiores opes habebant, ad unum aliquē cōfugiebant uirtute præstantem, qui cum prohiberet iniuriam tenuioris, æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat, ut respublica partium consensu propter ius æquabile, ac iustitiæ æquitatem, & coalesceret facilius, et contineretur fortius. Nam propter iniustitiam oraculi diuini testimonio, regna de gēte in gentem transferuntur. Neq; Romanū imperium armis auctum & arte militari, ex tot barbaris nationibus, in unum ueluti corpus coalitum & formatum, tot sæculis incolume stetisset, nisi iustitia regnorum fida comes, et custos, gentium & animorum

& animorū illas dissimilitudines, morumq; uarietates, conformatas in officio contineret. Populi enim Romani hanc consuetudinē fuisse, author est Cæsar, ut socios atq; amicos, non modo sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore auctiores uelit esse: tantóq; studio iustitiæ tenebatur Senatus populusq; Romanus, ut ei nō modo non admittere iniuriam, sed & omnem iniuriæ occasionem uel leuē tollere curæ esset. Propterea legibus Romanis, magistratus prouinciarū neq; uxores ducere, neq; mercari phas erat. Caput igitur rectè imperādi, id est, reipublicæ gubernandæ hoc primum sit, iustitia præstare. Alterum uerò illud, ut rex neruos suos, ac conatus omnes, in hoc intendat, quo milites ac ciues suos priuatim & publicè in sinu amplæ et splēdidæ fortunæ, constituat. Quod duobus modis fit, primo, cum præ honore reipublicæ, ac suorum omne lucri genus, existimat sordidum esse ac turpe, uerbi illius Octauiani, digni principe, non immemor, qui Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti ciuitatem negauit, immunitatem obtulit: affirmans se facilius passurum aliquid fisco detrahi, quàm honorem ciuitatis Romanæ uulgari. Deinde, cum nullum unquam uoluptatis cupiditatisq; genus tam sibi charum putat, quin id ex animi sui penetralibus radicitus

tus euellat atq; eijciat, si modo contra salutem
reibublicæ regni; honorem ducat fore. Quem
suorum honorem si ita ut debet tuebitur, nihil
non præ ipso contemnendo, non modo in maxi-
ma ac celebri fortuna, ueluti in alta quadã spe-
cula, milites ac ciues suos, totamq; rempublicã
collocabit, uerum etiam omnium animos ac stu-
dia in se conuertet. Vix enim dici potest, quãto
amore ac beneuolentia is prĩceps à suis colitur,
apud quem nihil unquam honore suorum chari-
us esse potest. Eoq; ingens ac firmũ propugna-
culum, uel adamantina mœnia exuperans, reg-
no suo adijciet, quo se, cõtra hostium insultus, ac
coniuratorum fraudes, facile tuebitur & ser-
uabit. Tutissimi enim regis custodes sunt ami-
corum uirtus, ciuium beneuolentia, ac pruden-
tia regis. Et quamuis prima ratio honestatis in
republica bene instituta debet esse, neq; tamen
utilitatis ratio, rerumq; & parandarũ & fru-
endarum commoditas omnino negligenda est.
Vt enim purpuræ dignitas ex filo & colore,
sic fœlicitas dignitasq; reipublicæ ex honestis ac
utilibus, cõflatur. Vnde & diuino Platoni curæ
est, ne in suã illam Rempublicã irrepant inscijs
custodibus, opulentia & egestas. Nã ut illa de-
licias ac desidiam, seditiones rerumq; nouarum
studium parit, sic ista turpis inopia, cum rerum
nouarum cupiditate quã ille νεωτερισμὸν uo-
cat,

cat ἀνελευθερίαν καὶ κακουργίαν. id est illibe-
ralitatem & maleficia gignit, & excitat. Prin-
ceps igitur non sibi se natum & factum existi-
met, sed ad hoc positum esse, ut quemadmodum
honore ac dignitate cæteris præstat, ita cura et
solicitudine, ad comparandam & augendã for-
tunam suorum, omnibus antecellat. Si enim rex
commoda reipublicæ, non modo non defendat
tueaturq;, ac si sua ipsius esset propria, sed for-
tunis singulorum tendat laqueos, Neronis uocẽ
funestam, si non uerbis, at re ipsa usurpãdo, quã
his quibus officia delegabat, adijciebat: Scis quid
mihi opus est, hoc agamus ne quis quicquã ha-
beat: non custos reipublicæ cũ Platone, nec pa-
stor populi cum Homero, sed potius cum eodem
ipso Homero Δημοβόρος βασιλεὺς quòd rẽ-
publicam non seruet sed deuoret, merito uocã-
dus est. Nam opes singulorum opes sunt ciui-
tatis, & ornamentis subditorum rex ipse exor-
natur, contra egestas ac inopia ciuium, regis et
ciuitatis egestas est, quemadmodum canit poëta.
Nõ sibi, sed domino grauis ẽ, quæ seruit egestas.
Et oracula diuina magistratus appellant, τοὺς
εὐεργέτας, quòd eorũ intersit, et beneficijs po-
pulum afficere, & bonis atq; commodis singu-
lorum, quasi sua ipsius essent, prouidere. Pro-
pterea & ante usum literarum, τὰ ἱερογλυφὰ
γράμματα, E hoc

hoc est literæ illæ apud Aegyptios, in rebus sacris sculpi solitæ, regem oculo & sceptro designabant, ut oculus, uigilantiæ ad commoda reipublicæ: sceptrum, iustitiæ signum esset. Proinde et Cicero diuina Platonis uerba repetẽs, omnino (inquit) qui reipublicæ præfuturi sũt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum, ut utilitatẽ ciuium sic tueantur, ut quicquid agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterũ, ut totum corpus reipublicæ curent, ne, dum partem aliquam tueantur, reliquas deserant. Quæ profectò gubernandæ reipublicæ capita, uidelicet et iustitiam, contemptionem lucri et uoluptatis præ reipublicæ honore, ac ut omnia ad communem utilitatem referant obliti commodorum suorum, unde commodius exactiusq; cõsequi reges possunt non uideo, quã ex sapientum libris, cum obiurgatores nõ ferunt. Legunt apud Aristotelem duas iustitiæ species, alteram quæ in distribuendis honoribus & præmijs uersatur, pro cuiusq; dignitate ac meritis, alteram cuius uis est in illis contractibus, qui nunc sponte nunc ab inuitis fiunt: nónne subito admonentur? in attribuendis honoribus aut præmijs, non gratiæ, non amicitiæ, non adulationis locum esse, sed ut quisq; & maiori honore dignus est, & melius de republica meretur, ita maiori

maiori honore & præmio ornari hominẽ oportere. At in mutuis hominum commercijs, & iniurijs factis, eam cuiq; pœnam deberi, quam sua fraus, suumq; scelus meretur: neq; hic uel gratiæ uel potentiæ locum esse. Nihil enim refert (authore Aristotele) probús ne uir malum, an malus probum suo priuarit: neq; probus ne an improbus adulterium cõmiserit, sed ad solã fraudis offensionisq; differentiam, lex spectat, perindeq; personis utitur, ac si æquales essent, si ille iniuria afficiat, hic afficiatur: hic lædat, ille læ datur. Denique cum legunt, iniustitiæ munus esse plus sibi ipsi boni tribuere minus mali, ac eũ qui id facit tyrannum esse, principem uerò, iustitiæ & æqualitatis custodem: Non possum adduci ut credam reges adeò oblitos esse sui, qui uel lucri cupiditate uel uoluptatũ studio, phas omne peruertant, honoremq; suorum habeant pro nihilo, atq; cum perpetua tyrannidis ignominia, melius sibi et cupiditatibus suis uelit, decepti specie recti, quàm subditis. Legunt etiam, iustitiam bonum esse alienum, hoc est prospicere aliorum commodis, nõ suis, mercedesq; principum esse honorem & donũ. Quis erit tã ferreus? qui, his muneribus ultro delatis non contentus cum honore, in bona ciuium inuolet cum dedecore ac probro? Quin hoc modo gesturum

 rempublicam

rempublicam sperarim eum regem, quo Adrianum ferunt, ut sciret rem populi esse non propriam. Sed reuolue Aristotelis libros de uita & moribus, de republica administranda, excute quosdam Platonis dialogos, pleraq; Ciceronis contemplare, nusquam neq; maiore studio, neq; compendiosius hæc ōnia tractata reperias, Nō enim ex compitis ac triuijs ista tā præclara leguntur, Non.

hæc Ianus summus ab imo
Perdocet, aut recinūt iuuenes dictata senesq;
Leuo suspensi loculos tabulamq; lacerto:

Ex arcano illo philosophiæ aditu, ex optimis quibusq; authoribus peti solēt. Propterea etiam clarissimi quiq; principes reipublicæ, ne sedula lectione & non mediocri studio ac nimia philosophiæ commentatione, auocarentur ab rebus agendis, & republica administranda, domi militiæq; philosophos secum habebant, quorū consuetudine, indies doctiores & utiliores reipublicæ redderentur. Sicut Anaxagoras Pericli familiaris fuit, Dioni Plato, Pythagoras Italiæ proceribus, Athenodorus Catoni, Scipioni Panætius, Alexandro Aristoteles. Ex Iure cōsultis autem, Adrianus, & Antoninus pius Iuliano, Marcus Antoninus philosopus Scænolæ, Seuerꝰ Marcello, Alexander Vlpiano, Iustinianus Tribuniano atq; alij alijs, familiariter usi sūt, quorū

authoritate & consilio in iudicando niteretur, uidebant enim sapientissimi principes, non cuiusuis munus id esse, arcana penetralia iustitiæ inquirere & scrutari, sed illis solis datum esse, qui cum philosophiæ studio, legum & eloquentiæ ornamenta coniūxerunt. Nec immerito prisci illi homines summo sacerdotij honore reges prius decoratos esse uoluerunt, quàm reges essent, ut in unum & eundem, cum sacerdotio sapientia, & rectè imperandi facultas, caderent, Vnde illud Latini poetæ

Rex Anius, rex idē hominū, Phœbiq; sacerdos

Et apud Aegyptios non licuit absq; sacerdotio imperare: quin si quis ex alio genere regnū ui occupauisset, cogebatur regno sumpto sacris initiari, ut rex deniq; esset & sacerdos. Iam ergo ostenso suis locis neminem alijs bene imperare, qui non prius sibi ipsi imperet, & iustitiæ atq; honestatis præsidijs adiutus ad imperandū accedat: eaq; nusquam commodius peti, quàm ex disciplinarum ac educationis legibus, quis est qui in nostram sententiam non eat? ad imperādum sibi & alijs rectam educationem, usum literarum & sapientiæ, plurimum momenti adferre. Quid autem? altera illa pedissequa regis, iudicādi nimirum facultas, nónne ex studio philosophiæ tota pendet? Si enim munus regis, ut

qui & custos legum est, & plerumq; animata lex in eo positum est, ut secundum leges iudicet ut nouas leges ferat, ad nouosq; casus temporũ iustè easdem & prudenter adcommodet, ut iã latas interpretetur, consequẽs certè uideri, sapientiæ seu philosophiæ studium, regibus necessarium esse, cum sint legum atq; philosophiæ idẽ fontes, Nisi quòd hæc scĩetiæ speculatiuæ propior, ius actuosæ: illa suasione ac præceptorũ dogmatis ad uirtutis honestiq; studium impellit, & à uitio turpitudineq; auocat: Iuris uerò peritia, hoc idem facit, partim præmio partim pœna. Huc accedit, æquũ illud quod philosophi Græci τὸ ἐπιεικές uocãt, cũ ius quidem non sit, quod secundum leges uel scriptum appellãt, sed iuris legitimi correctio: Idq; ius legitimum, plærumq; non de singulis, sed de uniuersis generatim statuens, æquitate corrigi soleat quæ Theophrasto, authore Pomponio, τὸ πλεῖστον Aristoteli τὸ ὡς ἐπιτοπλεόν, Modestino naturalis iustitia nũcupatur, operæpretium est, iudices æqui naturam ex fontibus philosophiæ petere, atq; sapientiæ locos, eius quæ est de uita & moribus, ita tractatos habere, ut rigorem legis generatim conceptæ ad normam æquitatis, ceu ad amussim exigant, prudẽtiaq; moderentur, si uolent legibus benè uti & iustè, uerbi

gratia

gratia. Lex ab uxore aliena in uniuersum omnes arcens, & peregrinos a muris, transgressori capitalem poenã proponit: qui tamen cum uxore tyranni rem habens tyrannum necauerit & patriam in libertatem asseruerit, & peregrinus hostem è muro deiecerit, non est obnoxius his legibus, æquitate rigorem iuris temperante. Item lex est, Donationes inter uirum & uxorem nullas esse, sed si quod impedimentũ interueniat, ne sit omnino matrimoniũ, ualere donationem. Ergo si senatoris filia libertino cõtra senatuscõsultum nupserit, uel prouincialis mulier contra mandata ei qui prouinciæ præesset, ualebit donatio, quia nuptiæ non sunt. Vult quidem hoc iuris rigor, uerborumq; sonus, sed æquitas correctio legis, aliud suadet, ne meliòr sit conditio eorum qui deliquerunt. Vides quãtum æquitas potest in legibus, cuius semina ex natura quidem ipsa, animo seu mente quæ principium est scientiæ, arripimus, haurimus, exprimimus, tractatione uerò & studio disciplinarũ perficimus, & ueluti lumine colores ex tenebris in lucẽ educimus. Et quia authore Iuliano neq; leges neq; Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quãdoq; inciderint, comprehẽdãt. τῶν γὰρ ἀορίστων, ἀόριστος καὶ ὁ κανών ἐστιν, inquit Aristoteles, necesse est naturas &

 uim

uim multarum rerum ex philosophia iudex cognoscat, ut ad similia procedens ius dicat, decreta sua, ueluti regulam Lesbiam ad lapidū formas inflectens, ad ipsas res accōmodet. Non quidem pro libidine sua, sed quod reipublicæ utilitas & honestas & rerū æquitas suaserit. Neq; ut errori sceleriue suo, aut suorū patrocinetur, quod fecisse aiunt Valentinianum, qui, quod Iustinæ amore captus eam in matrimonio habuisset, uxore legitima adhuc superstite, legem tulit, ut quicumq; uoluissent binis uxoribus impune iungerentur. Adde nihil sapientius esse legibus, ut maximo & diuino Platoni uisum est, qđ si uerum est, ut certè est, studium profectò sapientiæ ad regis officium pertinere iure optimo uidebitur, ut leges sapienter & iustè ferat, ut eas bene interpretetur, ut secundum easdem iudicet.

QVOD REGES FACILIVS PERLATIS LEgibus pareant (ut debent) bene & rectè educati ex institutis philosophiæ.

CAPVT. VI.

Neq; uerò sapientiam hoc solo nomine regi necessariam ducimus, ut bonas leges ferat, ut secundū eas imperet & iudicet. Est alia non minor ratio, quæ animum regium, si uerè regius uult & esse & haberi, ad philosophiæ educationisq; studium impellat. Nec enim satis est ita instructum regem esse, optimis quibusq; institutis, ut bonas leges ac salutares reipublicæ, secundumq; naturam possit ferre, ni ijsdemquoq; ipsis legibus sic se obstrictum esse uelit, ne quicquam aliud nisi quod sanctio legumq; æquitas præfiniat, licere sibi existimet. Itaq; principem legibus parere nec uelle nec posse, absq; institutionis atq; philosophiæ beneficio, paulò altius dicendū est. Sed inprimis (quod propositæ rei fundamētum est) an parere legibus, intersit regis, ut eorū calumniam refellamus, qui hoc nomine sanctissimis Romanorum legibus turpem inurūt notā quasi hæ regem legibus solutum esse uelint. Iureconsulti igitur recentiores, idest legum Romanarum interpretes, in duas factiones diuisi, quasi ex professo in hoc dissident, an principem legibus Solutum esse oporteat. Qui legibus solutum esse uolunt, his ferè sanctionibus ac legū responsis suam opinionem tuentur. Princeps legibus solutus est (ait Vlpianus) Augusta autem licet legibus soluta non sit, princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit quæ & ipse habet. Et item Iustinianus, quod principi, inquit, placuit, legis

legis habet uigorē, Cum lege regia quæ de eius
imperio lata est, populus ei & in eū omne im=
perium suum & potestatem contulerit. Atq;
adeò Deus ipse (ut idem Iustinianus alio in loco
author est) imperatorem, ut uerbis eius utar,
νόμον ἔμψυχον καταπέμψας ἀνθρώποις
summo imperio potiri uult, ut solus hoc tem=
pore & conditor, & interpres legum esset. Se=
cundum hoc diui Seuerus & Antoninus sæpissi=
me rescripserunt. Licet legibus soluti sumus, at=
tamen legibus uiuimus. Hæc ferè pro sua opi=
nione adducunt, atq; ita concludunt. Principem
legibus obnoxium esse non debere, cum earum
ipse solus & conditor sit & interpres, sed uo=
luntate sua subijci legibus, quibus omnino solu=
tus est. Non desunt qui contra depugnantes lō
gè probabiliora adferunt. Nec enim satis rectè
illi colligunt. Princeps solus & conditor & in
terpres legū est, ergo solutus est legibus. Quin
eo ipso uel maximè, cum legibus alligatum esse
oportet, quòd & interpres earum est & con=
ditor: Si uerum est illud sapientis. Patere legem
quam ipse tuleris: Et si edicto summæ æquitatis
rectè cautum est. Quod quisq; iuris in alium sta
tuerit, ipse eodem iure utatur. Neq; enim id ipse
(authore Vlpiano) committere debes, quod aliū
facientem necesse habes ex officio prohibere. A
lioqui

lioqui legum etiam interpretes, penes quos le=
gis condēdæ atq; interpretandæ authoritas est,
ac prætores ipsi, Senatus populusq; Romanus,
immunes erunt à legibus, nec earum uinculo pe
nitus tenebuntur: cum ab his Senatusconsulta,
leges ac plebiscita, ab illis ius honorarium lex
annua, authoritatem legum acceperunt, Ty=
rannorum hoc est, qui respublicas non saluas
sed perditas esse uolunt, non regum, nullis legū
uinculis ligari uelle. Nam quod Vlpianus, &
post eum Seuerus & Antonius. atq; Iustinianus
principem lēgibus solutum esse dicunt, ideo sen
su accipi debet, ut solennibus iuris princeps se so=
lutū esse putet, non lege naturæ, quæ omni mor
talium generi communis est, rectáq; ratio seu
æquitas Latinis, Græcis ἐπιείκεια fortasse nomi
natur, ex qua omnis integritas ac sanctitas legū
ꝑmanat, ueluti ex perenni fonte. Si enī nihil aliud
lex, est, quàm summa ratio insita in natura, quæ
iubet ea quæ facienda sunt prohibetq; cōtraria:
omneq; mortalium genus hac lege constet tene=
ri, cum si ad naturam spectes, nihil in hominum
genere, non sibi æquale est, siue regum siue ser=
uorum conditionem spectemus: Iure quodam o=
ptimo, quod ad eam partē pertinet, ipsis quoq;
legibus, omnes æquè subiecti & alligati esse ui=
demur, ut ea sola quæ sint honesta, & iusta fa=
ciamus

ciamus. Vnde cum quidam regi Antigono dixiſſet, omnia regibus & honeſta & iuſta eſſe: per Iouem (inquit) regibus barbarorum, ſed nobis ſola honeſta, ſunt honeſta, & iuſta, ſola iuſta. Quis igitur abſq; crimine ac uituperatione legum uincula abiecerit, rex & priuatus? ut non ſimul hominis ſe natura exuerit atq; abdicarit? in ferinam tyrannidem degenerando, quæ uno legis ac æquitatis uinculo, omne hominum genus inter ſe coniunxit? Solutus igitur princeps eſt non legum ſucco, neq; medulla ut ſic dicam, ſed extrema illa cortice, quæ legum æquitati, ex hominum curioſa obſeruatione, ex temporis & utilitatis habitu, acceſſit. Quamuis enim uirtus ac uis legum in ipſa natura conſiſtat, eóq; ſpectare debeat legiſlator, uti ad Cynoſuram nauta, euenit tamen ſæpenumero, ut de his quæ à natura profecta ſunt, prætores nonnihil, ex utilitatis ratione edicãt additis quibuſdam formis ac ſolennibus iuris, pro re nata, ut ita, ipſum illud ius fundatum in natura, ab ea paululum receſſiſſe in moreſq; gentium ſeu conſuetudinem abiiſſe uideatur, ueluti uſucapio quæ ex ratione ducta naturali, dominia rerum diſtincta ac certa eſſe iubet, ex iure ciuili formam accepit, ut certi tẽporis poſſeſſione dominium quæreretur. Deniq; maximè congruit naturæ, ut qui ſe per ætatem

tueri

tueri non poſſit, alterius tutela regatur, cuius rei ius Romanum, certum modũ adiecit, in cautione præſtãda ob modum, perſonam, cauſamq; tutelæ, ac in alijs eiuſmodi. Sic extremarum uoluntatum ratio, ac teſtamentorum factiones cũ natura conſentiunt. Nihil eſt enim quod magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ uoluntatis, poſtquam iam aliud uelle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium: tamen ius ciuile certis ſolennibus hoc eſt ſignaculis ac ſubſcriptione ſeptem teſtium, dolis ac fraudibus occurrendo, utilitatis gratia, formam teſtamẽtis impoſuit. Item edicti pactorum æquitas naturalis eſt: Quid enim tam congruum eſt, humanæ fidei, quam ea quæ inter eos placuerint ſeruare? tamen iure ciuili ſtipulatio, ac uerborum obligatio adiecta eſt. Quibus ſanè ſolennibus iuris, quæ utilitatis ratio obſeruatione hominum, præter naturã introduxit, principem ſolutum eſſe facilè conceſſerim, modo nõ ſui ipſius gratia, neq; amicorum commodis inſeruiens, uſucapionum, tutelarum, teſtamentorum & pactorum formas legitimas euertat, ius phasq; confundendo, ſed pro re nata ac tẽpore, ubi æquitatis ratio, ac reipublicæ commoda poſtulent ex ſola legũ æquitate ius dicat petentibus, ſtricto illo iure paululum ſemoto, Idq; ra-

rius

rius neq; aliter nisi aut euidenti æquitate ex-
poscente, aut summa necessitate exigente & co
gente, Exemplum illud salutare Arati Sicionij
imitando, Qui cum patriam suam liberasset Ni=
cocle tyranno improuiso oppresso, sexcentosq;
exules restituisset, quorum bona quinquaginta
annis ab alijs possessa tenebantur, quamuis sũ=
mo iure alienis possessionibus, eos deturbare po
tuisset, tamen inspecta æquitatis ratione, gran=
dem pecuniam à Ptolemæo rege, hospiteq; suo
impetrata, Sicionem attulit. Vbi, adhibitis sibi in
consiliũ quindecim principibus, cum quibus cau=
sas cognouit, & eorum qui aliena tenebant, &
eorum qui sua amiserant, perfecit æstimandis
possessionibus, ut persuaderent, alijs ut pecunias
accipere mallent, possessionibus cederent, alijs
ut commodius putarent numerari sibi quod tã=
ti esset, quàm suum recuperare, Ita perfectum
est, ut omnes concordia constituta sine querela
discederent. In hoc enim leges principem solẽ=
nibus iuris soluerunt, ut reipublicæ prosit non
suæ auaritiæ, libidini, cupiditati inseruiat. Qua=
propter princeps iustissimus Pertinax oratione
sua expressit, non admissurum se hæreditatem
eius qui litis causa principem reliquerit hære=
dem: neq; tabulas non legitimè factas, in quibus
ille ob eam causam institutus erat, probaturũ:
neq;

neq; ex nuda uoce, hæredis nomen admissurum,
neq; ex ulla scriptura cui iuris authoritas desit,
aliquid adepturum. Secundum hoc Diui Seue=
rus & Antoninus sæpissimè rescripserunt. Li=
cet legibus soluti sumus, attamen legibus ui=
uimus. Ex eodem etiam fonte illud est Pauli. Ex
imperfecto testamento legata uel fideicommis=
sa Imperatori uendicare uerecundum est: De=
cet enim tantæ maiestati eas seruare leges
quibus ipse solutus esse uidetur. Et nescio an
quisquam apertius Alexandro Vero hoc expres
sit. Ex imperfecto (inquiens) testamento, nec Im=
peratorem hæreditatem uendicare posse, sæpe
constitutum est. Licet enim lex imperij solenni=
bus iuris Imperatorem soluerit, nihil tamen tã
propriũ imperij est, quàm legibus uiuere. Quid
dici potuit apertius? quid clarius? Imperatorem
solutum esse, non illo quidem legum uinculo na
turali ac æquitatis ratione, quæ omni mortaliũ
generi communis est, propter naturam rectæ
rationis participem, sed sola forma ac solenni=
bus iuris, quæ utilitatis ratio, ac consuetudinis,
seu obseruationis uis, in authoritatem legũ ad=
duxit. Idq; adeò non ad lucra sua captãda suorũq;
neq; ut bonis ciuium laqueos tendat, uerùm quo
liberius, expeditius, ac citius, si res ita postulet,
commodis subditorum suorum, citra quorum=
uis

uis iniuriam, his legum cancellis minimè inter-
clusus, prospiciat. Princeps igitur solennibus iu-
ris solutus est, quibus tamen, ut aliorum fert o-
pinio, uoluntate sua se subijcit: ut mea, ne hoc
quidem ego principi concesserim, ut suo arbi-
tratu, uel liber sit, uel alligetur solennibus, absq;
consilio Senatus. Quis enim tam inops mentis
est, qui polliceri possit, eodem semper studio re-
gem futurum, eodem semper prospectu-
rum, sic æqua lance uirtutem ac uitium appen-
surum, ne unquam, id quod deterius est, præpo-
deret. Sic uita hominum est ut ad uitia, nescio
quomodo proniores, ad uirtutem hebetiores ac
tardiores simus. Citius perturbationibus ex ar-
ce uirtutis deijcimur, quàm rectæ rationi pare-
mus. Verum illud est quod iuuenes apud Liuiũ
iactarunt, regem cum lege comparando, Regem
hominẽ esse, à quo impetres, ubi ius, ubi iniuria
opus sit, esse gratiæ locum, esse beneficio, & ira-
sci, & ignoscere posse, inter amicum & inimicũ
discrimen nosse. Leges rem surdam, inexorabilẽ
esse, salubriorem melioremq; inopi quàm poten-
ti: nil laxamenti nec ueniæ habere, si modum ex
cesseris. Neq; uero in hac parte diuino Platoni
assentiar, optimum esse dicenti, non leges qui-
dem ualere sed hominem prudentem regiumq;,
nisi scirem hoc illum potius ad fictionem homi-
nis regij, qui facilius fingitur, quàm reperitur

uspiam, non ad ueritatem retulisse. Vt optimum
quidem ille putet talem reipub. præficere ac
legibus, qui actionum humanarum conditionem
instabilem, pro uicissitudine rerum, per omne
tempus, absq; ulla criminis suspicione, compo-
nere atq; constituere ualeat. Sed quia haud te-
merè quenquam his moribus repperias, melius
sentire Aristoteles uidetur, ita scribens. Qui
legem præesse iubet, uidetur iubere Deum præ-
esse & leges, qui autem hominem iubet præes-
se, adiungit & bestiam, libido quippe talis est,
atq; ira, obliquos agit etiam uiros optimos qui
sunt in magistratu. Sic etiam plæriq; imperato-
res nihil humanũ à se alienũ esse putãtes atq; suæ
imbecillitatis conscij, ut Theodosius & Valen-
tinianus, lege perlata cauerũt, ne quicquam au-
thoritatem legis haberet, ab ipsorum clementia
promulgatum, sine cognitione Senatus, ut uni-
uersorum consensus (ut eorum uerbo utar) Im-
peratoriæ serenitatis authoritate firmetur. Quo
rum præclara illa uox est, inserta in Codicem,
ut uice legis esset. Digna uox est maiestate re-
gnantis legibus alligatum se principem profi-
teri, adeò de authoritate iuris nostra pendet au-
thoritas, & re uera maius imperio est submitte-
re legibus principatum, & oraculo præsentis
edicti, quod nobis licere non patimur alijs indi-

camus

camus. Eñ uides ea Theodosij & Valentiniani
lege dignitati imperatoriæ parendi legibus ne-
cessitatem imponi non arbitrio relinqui. Quid
enim sibi uult aliud, quod nobis licere non pati-
mur alijs indicamus, quàm quod nos tot legi-
bus, totq; exemplis, asserimus. Nam quod par
in parem imperium non habens, nullam parẽ-
di necessitatem, pari post se functuro potestate,
potuit imponere, id profectò tum demum lo
cum habet, quũ iurisdictioni ipsius se non submit
tit, alioqui par etiam in parem habebit imperi-
um, quod in specie nostri instituti usu uenit. Et-
enim imperator Iustinianus, cuius authoritate
ius ciuile in eam artem quam habemus, redactũ
est, collum huic Theodosianæ constitutioni co
uisus est submisisse, quòd eã inseri in suum Co-
dicem passus est. Sicut enim plerasq; leges, quæ
in desuetudinem abierunt, eo quòd minimè pro-
basset reiecit, ita hanc legem eo quòd insertam
Codici suo uoluit esse, ratam ac firmam esse ius
sit. Hoc idem principes Rhomani, qui quasi per
manus traditum sibi imperium acceperunt, sen-
sisse ac sentire nobis uidentur, iuri ciuili Roma-
no, robur suum atq; authoritatem adijcientes,
ut planè & hoc loco illi regulæ locus sit: Quod
semel placuit amplius displicere non potest. Pro
pterea ius Polonum, non immeritò neq; sine iu-

dicio singulari, ea de re nominatim cautum esse
uoluit, reges suos religione sacramenti, ita le-
gum uinclis arctando, ut quemadmodũ regi con-
tra alios, ita alijs contra regem iudicio experiri
liceret, non secus ac si is priuatus esset. enim
per Deum immortalem, imperiali illo splendo-
re dignius? quid magis conueniens summo ho-
nori? quid quod regis fortunam magis deceat?
quàm legibus & promptè parere & libenter,
& ne fortè (ut fit plerumq;) in præceps fera-
tur legum frena cupiditati imponere. Possem
hic magnam exemplorum uim ac legum copi-
am adferre, quibus uel sole clarius appareat
clarissimos quosq; imperatores atq; reges, uel
hoc solo nomine, quòd legibus parerent decus
immortale adeptos esse: Sed unum atq; alterum
pro multis, properanti ad reliqua, sufficiat. Ae-
quales Alexandri fuerunt tragœdi Thessalus
& Athenodorus, hij cum inter se de arte con-
tendentes in certamen aliquando uenissent, cho
ragorum quidem uicem Cypri regibus fungen-
tibus, iudicum uerò præfectorum nobilissimis,
uictorq; ad extremum Athenodorus euasisset:
parte (inquit Alexander) emptum regni uellẽ,
ne Thessalum uictum uiderem, nec quicquã ul-
tra uerborum cum iudicibus fecit, aut ullo pror
sus modo iudicium improbauit, nimirum dignũ

esse ratus cæteris se omnibus antecellere, iurè uerò concedere. Agesilaus patri iubenti ut in causa quadam contra leges pronunciaret: Imo inquit, abs te pater à puero didici parere legibus, Quamobrem nunc quoq; tibi obtempero cauens ne quid faciam contra legem. Themistocles autem Simonidi quiddam petenti iniustum, nec tu (inquit) bonus poëta fueris si præter numerum canas, nec ego bonus princeps si contra leges iudicem. Non ergo rex legibus solutus est, sed pareat eis necesse est: Siue quòd æquitati legum naturali semper, uti cæteri omnes homines, solennitati pro re nata ac tempore adstrictus sit, nisi æquitas & euidens utilitas aliter suaserit: siue quòd aut sua sponte parendum legibus existimet, aut propter plurimorum imperatorum sanctiones, quæ parendi legibus necessitatem imponunt, insertas inter leges, necessariò eis obtemperet: Siue quòd honestas regiæ dignitatis, reipublicæq; euidens utilitas, clarissimis regum imperatorumq; exemplis comprobata, hoc postulet. Quòd uerò idipsum, sine educatione ac philosophia, non facilè possit, philosophorum facilè princeps Aristoteles docet, duas animæ partes ponens, Alteram, quam nominat ἄλογον planè rationis expertem, cum brutis ac plãtis nobis communem, ut quæ alendi ac augendi, quemadmodum in illis ita in nobis etiam, causa sit. Alteram ἄλογον quidem sed interdum participem rationis, appellatam ἐπιθυμητικὸν καὶ ὀρεκτικὸν, cum in hac iræ, in illa cupiditatis uis ponatur. Quibus tertia pars accedit & λόγος nominatur, quòd sit sũma illa ac recta ratio nihil cum impetu aut sine iudicio, nihil turpiter aut ineptè committens, quemadmodum appetitus, quo nihil neq; impetuosius quicquã, neq; uiolentius esse potest, ubi uel minimum, iudicium rationis secludat. Ex ea parte quæ λόγος nominatur, uirtutes intellectus, oriuntur, quas διανοητικὰς Græci dicunt quæ experientiæ ac temporis præsidio, doctrina quæruntur & augentur. Nam altera illa expers quidem rationis, ubi tamen ratione paulatim uti consuescat, morales uirtutes ἠθικὰς Græcis, producit, quæ (ut uerbo Aristotelis utar) ἐξ ἤθους περιγίνεται. Nec enim adeo doctrina (licet ne eam quidem secludimus ab hoc genere) quàm exercitatiõe assiduóq; usu, ad perfectionem educũtur. Facultates enim sunt, quarum semina ex natura potendo, perfectionem consuetudine acquirimus. Virtutibus igitur & morum & intellectus, ad animæ nostræ partes inter se dissidentes, ueluti administris utimur. Nam ut illa pars animi, quæ λόγος nomĩatur,

ipsa

ipsa ex sese sine alterius præsidio, sapientiã, pru-
dentiam, ac eam quam σύνεσιν Græci uocant,
cæterasq; intellectus uirtutes producit, Ita hæc
animæ pars cupiditati iræq; obnoxia, temperã-
tiam, liberalitatem, iustitiam, ac fortitudinem, &
si quæ eiusdem generis sunt morum uirtutes, tũ
demum ex sese parit, quum sensim iugum rati-
onis decretis eius parendo, tanquam efferata
quædam ac effrenis belua, in se admittit. Quem-
admodum enim amica societas eadem uolunta-
te ac studio, non secus ac clauo trabali, quod di-
citur, coniungitur & cohæret, ita etiã duæ res
maximè repugnantes λόγον & ἄλογον uirtu-
tum utriusq; generis officio & consensu, impe-
rando ac obtemperando æterno ac pulchro fœ-
dere coalescunt. Et sicut nemo potest appeti-
tum, iram, cæterosq; malæ cupiditatis satellites
imperio rectæ rationis subijcere, ni prius facul-
tatem uirtutis moralis habitumq; prudentiæ ac
scientiæ possessionem ex philosophia sibi compa-
ret, ita nemo, præsertim in magistratu constitu-
tus, uel à se uel ab alio positis legibus rectè ac
expeditè paret, ni omnem cupiditatis fomitem,
improbum consultorem, uirtutis studio & amo
re, sapientia, prudentia, doctrina, à se præcidat,
abijciat, ex præceptis institutisq; philosophiæ.
Difficile enim est, animum eius hominis, qui se-
mel

mel turpi cupiditati nomen dedit, & qui se fœ-
dis uoluptatibus ad ambas usq; aures demersit,
ad bonam frugem reuocare, ueluti luxata mẽ-
bra cum ad dexteram reflectis, ad sinistram im-
petu suo feruntur, sic animus cupiditatibus lu-
xatus, ad deteriora procumbit. Animus si-
quidem tener ac mollis, simul cum ipsa ætate,
optimis asuefaciendus est, imbuendus dogmatis
philosophiæ dum adhuc flexilis est. Nam post-
hac frangas citius quàm corrigas, quæ in prauũ
indurueru nt. Vt enim equum ac bouẽ aratorẽ,
illum frenis flectendo in gyrum, & calcaribus
subigendo, hunc iugo applicando, & excitando
stimulis, idest, à prima statim iuuenta suo quem-
q; studio exercẽdo utroq; posterius utimur me
liore: sic propemodum, cum omnium hominum
uita, tum uel maximè regum ac principum fe-
rox animus, ni institutis ac præceptis philoso-
phiæ rectæq; educationis ab ipso ætatis flore, e-
xercitus ac subactus fuerit, frena iugaq; legum
quibus teneri debet, excutit ac deijcit. Quod eti-
am sapiens poëta latinus in brutorum natura
prudenter & scitè expressit, agricolas sui mu-
neris admonendo his uersibus.

Tu quos ad studiũ atq; usũ formabis agrestẽ.
Iam uitulos hortare, uiamq; insiste domandi.

Dum faciles animi iuuenũ, dum mobilis ætas

Propterea rectè Aristoteles iuuenem, ciuilis disciplinæ, id est, doctrinæ de uita & moribus, auditorem non idoneum putat fore, quòd perturbationes sectando, frustra sit præcepta uirtutũ ac sine utilitate auditurus. Quòdq; non temerè, sed eo nomine, iuuenem à præceptis morum arceat, hæc declarando adijcit. Interest autem nihil, iuuenis sit ætate an moribus, non enim defectio est ob tempus, sed quia uiuit & persequitur singula ex affectu. Et alio item loco inquirens sponté an inuiti peccem9, Omnem uim ei9 quæstionis ad extremum eò retulit, ut cnncta educationi, seu consuetudini tribueret. Nam à principio priusquam consuetndiuem fecerimus, in potestate nostra esse, rectè an perperam uiuamus: ubi uiuendo progressi, ac longam consuetudinem nacti sumus, tum demum omnem uiuendi ratiomem, consuetudini atq; necessitati subijci. Vt propalam sit, reges legibus à se perlatis, parere posse minimè, ni educatio salutaris, ex philosophiæ decretis, ipsorum animos, ad uirtutes flexiles rectæq; rationi obtemperantes, reddiderit. Qui enim fieri potest? eos scriptis legib9 parituros qui legi mentis suæ non paret? Ac uicissim obtemperaturos rationi, qui nullum unquam uirtutis habitum, assiduo actionum honestarum usu sibi comparant & acquirunt?

IN REGUM ET PRINCIPUM FILIIS INSTItuendis exactiorem curam requiri, nec tamen ad perfectam illam doctrinæ rationem & amussim exigendam.

CAPUT VII.

Quamuis autem ipsa natura origo est, fons sapientiæ & uirtutis, cum ipsamet natura semina earum rerum nobis ministret, tamen nisi doctrinam rectamq; institutionem, ueluti ferro subigendo & acuendo cotem, rudi animo impolitóq; adhibeas, alterum duorum eueniet: Aut illud quod natura datum est, penitus extinguitur: aut si planè non extinguitur, ita obscurè torpescit turpitudine uoluptatum, ueluti graui ueterno, ut uel ad usus reipublicæ ineptum sit, uel in aliquot ingens facinus erumpat, memorabilemq; cladẽ reipublicæ adportet. Perinde atq; ubi eloquentia in malam mentem incidit, & arma furioso contingunt. Vt enim colores in tenebris sine lumine non cernuntur, & thuris odores in igne excitãtur, ita ingenij humani uis, in hoc corporis ergastulum tanquam atrũ carcerem inclusa, ni igne doctrinæ ac lumine insti-

tutionis cicatur, nullos neq; honestos uirtutum colores, neq; gratos sapientiæ odores producit atq; spargit. Recté equidem Aristoteles, tria hæc in pueris coniunxit n plurimum necessaria, ingenium, discipli am, exerciatitonem. Ingenium namq; profectum à natura absq; disciplina, aut inane plerumq;, deses, ac otiosum est, aut noxium. Disciplina autem iners propemodum ac obliuiosa res est, ni exercitatio accedat, quæ maximum est in scientijs momentum. Cuius rei locuples testis est Indus quidam sagitarius, Hic cum per annulum sagittas se missurum iactaret, ac ut ostenderet quod iactaret ab rege Alexandro iussus esset, se quod iubebatur facturũ esse negauit. Atq; cũ ob eam rem ad supplicium duceretur, ad lictorem conuersus dixit, se per multos dies nõ exercuisse, ac ne aberraret timuisse. Quanquam autem omni hominum generi doctrina necessaria est (neminem enim non decet hoc agere, curare, ac persequi, quod ad bene beateq; uiuendum momenti adfert plurimum) tamen in regum ac principum filijs educandis instituendisq; maior cura studiumq; longé enixius requiritur. Qui enim alios instituit ipsis tantum prodest quos instituit, qui reges ac principes, de tota republica bene meretur. Bene hoc prospexit Philipus

pus

pus singulari rex prudentia, cum Alexandrum filium eo tempore sibi natum esse gauderet, quo Athenis Aristoteles floruit. Nec enim sapiens rex id esse putabat satis filium sibi nasci, nisi optimi philosophi opera & institutione bonus & sapiens redderetur. Quem etiam ita adhortari solebat. Aristoteli & philosophiæ da operam, ne eiusmodi multa agas, qualia me fecisse pænitet. Nec uero patris sui monita bonus filius cõtempsit. Tanto enim Aristotelis ac philosophiæ studio tenebatur, ut ne in strepitu quidem armorum, cum Asiam bello premeret philosophiæ ac literarum cogitationem remitteret, Adeò ut etiam ipso Homero fonte totius philosophiæ, cum pugione pro puluillo uteretur, et disciplinas ἀκροατικὰς, quibus ab Aristotele imbutus fuit, ardore quodam iuuenili laudis studio, æditas quereretur, Quippe quòd alijs doctrina præstare mallet quàm copijs & arte militari. Nec ego adeo rudis sum, quum regis educationẽ disciplina metior, ac ex philosophiæ studio omnẽ eius institutionem pendere existimo, ut tantam in rege philosophiæ uim, tantam literarum copiam requiram, quantam hi præferunt & ostentãt, qui ocio abundantes totum uitæ suæ cursum, in philosophiæ commentatione consumũt, nihil aliud agentes in uita. Quanquam & illud

Neopte

Neoptolemi Enniani, cum Cicerone, minus probo, qui philosophandum sibi censet, sed paucis, nam omnino haud placere, Difficile enim est in philosophia pauca ei esse nota, cui non sint aut pleraq; aut omnia: Et necessarium esse arbitror regiæ ac amplæ fortunæ amplissimum sapientiæ ornamentum accedere: Vt, qui honore, dignitate, officio alijs præstat, sapientia ac prudentia etiam antecellat. Etenim ad regis sapientiam, turbulento præsertim tempore, ueluti ad aram portumq; salutarem omnes confugiunt, in huius unius sapientiam, tanquam in illustre sydus, intuentur, hinc, suæ uitæ rerumq; omniū salutem, expectant: Tamen quando id quod munus regium requirere, & iure quodam suo postulare uideatur, possunt minus, uel propter ætatem iam progressam, uel propter uarias regni occupationes quibus uita regia diu noctuq; distinetur: in illud certé omni conatu incumbāt, hoc studiosé amplectantur necesse est, ut pleri sq; ex philosophia cognitis, ita se ad rempublicam comparent, ne omnino rudes esse in sapientia ac patrijs moribus uideantur. Vbi enim uel sola præcepta de uita & moribus non exacté tractata, ut philosophis mos est, sed leuiter cognita ac perfecta hab[u]erint, & historiam bene meminerint, tum & no[n] illotis (quod aiunt) pedi

bus ad rempublicam accessisse, & munere regio non malé functi esse uidebuntur. Nam in cæteris artibus, & quæ ad bené beateq; uiuendum non pertinent, & ex quibus exemplar reipublicæ administrandæ non petitur, regem elaborare tam ind ecorum ac turpe est, quàm præcepta de uita & moribus penit9 ignorare, quòd legum ferendarum ratio ex hoc disciplinæ genere tota dependet. Habeat Hippias Helæus suam sibi ille sapientiam, qua gloriatus est cuncta pené audiente Græcia (ut Catulus apud Ciceronem testatur) maxima illa quinquennali celebritate ludorum, nihil esse ulla in arte rerū omnium, quod ipse nesciret, nec solū has artes quibus liberales doctrinæ atq; ingenuæ continentur. Geometriam, musicam, literarum cognitionem, atq; illa quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur, sed annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se sua manu confecisse. Leontinus item Gorgias copiosissimé se dicturum esse profiteatur, quæcunq; in disceptationem quæstionemq; uocantur. Iactent hæc Græci homines cupidi contentionis & gloriæ. Nos tantum doctrinæ in principe requirimus, quantnm ad uitam & suam & suorum moderaté, rectéq; instituendam, atq; ad rempublicam admini

administrandam, & ad leges iuste ferendas, satis sit, Cætera quibus respublica ornari & iuuari possit facilè petet, & ubi uolet, & quasi aliud agendo, ex eruditorum consuetudine si ut debet eorum consuetudine utatur, Reges enim ac principes sapientum consuetudine sapientiores fiunt. Probro datum est Philippo regi quòd de cantus ac sonorum ratione, cum fidicine disceptaret, Nam cum probè musicum refellere uideretur ridens ille, Dij melius ô rex (inquit) ne usq; adeò miser sis, ut hæc me melius scias. Nec uacat maxima reprehensione factum Dionysij, qui Philoxenum poëtam in Latumias demisit, quòd tragœdiam eius, oblatam sibi ut emẽdaret, una litura circumduxit. Turpe siquidem regi est, in his se uelle omnibus antecellere, quæ & infra dignitatem regis sunt, & nihil augmẽti in persona regis, ad rempublicam adferunt. Neq; quisquam ingens illud studium in Adriano facillè laudauerit, quod non modo disciplinis sua apte natura deditus atq; studiorum amator utraq; lingua excelleret, sed minima etiã quæuis tractaret, ambitionis studio. Pinxit enim uenustissimè, atq; etiam effigies in cera & creta formauit, iactans nihil se eorum ignorare, quæ aut in pace, aut in bello, siue ad regem, siue ad priuatum pertinerent. Adeoq; inuidia fertur laborasse, ut quosdam celebres ac excellentes artifices, quos æquare non poterat, alios, & quidem frequentes, subuertit, alios ceu studiorum & artium æmulos, interfecit, quòd omnes cuperet in quacumq; arte atq; disciplina superare. Ergo non satis est, ingenio reges præstare ni & doctrina uel saltem mediocri, ad definitũ certumq; modum perducta, naturæ suæ dotes cultiores melioresq; efficiant. Habes (ut rẽ totam de officio regis in compendium reducamus) non modo ad animi perturbationes sedãdas, ad rempublicam moderatè rectèq; gubernandam, ad leges iustè ferendas, educationis ac philosophiæ decreta regibus necessaria esse, sed ad hoc etiam pertinere, ut reges perlatis legibus commodius & libentius pareant: modo in regũ studijs & philosophia addiscenda modus adsit. Superest iam ut breuiter de ordine Senatorio dicamus.

ORDO SENATORIUS QUI REMPUBLICAM SALUAM ESSE UULT LITERARUM PHILOSOPHIÆ AC EDUCATIONIS HONESTÆ NON EXPERS ESSE DEBET.

CAPUT VIII

Ordo

Ordo Senatorius cum in omni republica tum in monarchia aprimè necessarius est. Vt enim gubernatoris prudentia, clauus quidem regitur, ad nauim obuertendam & dirigendam quo uelis, nec tamen facilè eundem cursum tenet nauis, aut ingruentes fluctus superat, spoliata remigum auxilio, ita consilio sui Senatus, animus regis ad rempublicam benè iusteq; administrandam adiuuatur. Qua quidem in re, haud mediocris prudentia requiritur, ut is legatur Senatus, & qui studeat reipublicæ ornamento ac cōmodis, quiq; lumine sapientiæ, prudentiæ, fidei, cæterisq; animi dotibus, ex studio literarum & philosophiæ quæsitis, regi suo, in cuius consilium allectus est, præluceat. Statuere enim, quemadmodum inquit Orator latinus, qui sit sapiens, uel maximè uidetur esse sapientis. Lubrica est ea res, si oscites, ac præceps, facilè hic aberratur, ni diligenter atq; sedulò prospicias. Nusquā profectò, & prudentia maiore, & iudicio saniore opus est, quàm in contemplanda et agnoscenda sapientia, et moribus eorum perspiciendis, quos tibi & amicos & senatores esse uelis: tum quòd ea in re labi, errare, ac falli, præter quam quod turpe est, etiam admodum periculosum. Nam meliorem esse republicā (quidam dixit) & prope tutiorem in qua princeps malus

malus est, ea in qua sunt principis amici mali, siquidem unus malus potest à pluribus bonis corrigi, multi autem mali non possunt ab uno, quā uis optimo, ulla ratione superari. Et quemadmodum dixit Diogenes, ad salutem uel opus est bonis amicis, uel acribus inimicis, ppterea quòd illi docent, hi redarguunt: tum quòd in deligendis amicis, & in consilium adsumendis, plerumq; specie recti decipimur. Sicut enim quædam uitia, uirtutem uidentur imitari, ueluti prudentiam malitia, liberalitatem effusio, fortitudinem audacia, patientiam duritia immanis, iustitiam acerbitas, religionem superstitio, lenitatem mollitia animi, uerecundiam timiditas, & prudentiam disceptandi, concertatio captatioq; uerborum: eodem etiam modo istud genus hominum leue, rerumpublicarum ac regum pestis, quos adulatores uocam9, æquis propēodū passib9 cū iustis amicis incedētes, neq; delectādo differūt neq; laudādo. Atq; adeo regib9 quos palpāt & demulcēt, plerūq; ut amici, recta, iusta, & uera cōsulere uidentur, quòd uel dulcia sint uel placida, atq; sensibus & ingenijs eorum accommodata quos sectantur. Quamobrem si uspiam alibi, diligens profectò consideratio adhibenda est regibus, in adlegendo senatu, cauendumq; ne pro ornamento turpitudinem, pro salute reipu

licæ perniciem, pro uera illa iustaq; amicitia, obscænam istam assentatricem sibi ordiniq; suo, accersant. Eos sibi rex amicos esse uelit, qui nō suis ipsorum lucris, non propinquorum commodis & honori, sed regis maiestati ac splendori, & per ipsum reipublicæ prospiciant. Quos certè non ludus gladiatorius subministrat crudelitatis officina, non saltatorius solius lasciuiæ administer, non ludus talarius turpis cupiditatis magister ac ocij, non epularum cōpotationisq; strenua illa (si dijs placet) certamina omnium scelerum materia ac seges, non ista deniq; intra parietes ac cubilia luparum, inter scorta & greges ancillarū turpiter acta uita. Quid igitur? Tam præclarum tamq; necessarium genus hominum, regis ac reipublicæ ornamentū ex philosophiæ palestra & ludo literarum, ex uarijs summarum rerum experimentis rectè, commodè, atq; fœliciter petitur. Etenim boni senatoris signum est studium philosophiæ literarumq; profectus, rerū periculo accedente, qui est fons prudentiæ. Verum ne in hoc quoq; uiæ cursu incautè erretur, signa ueri philosophi ponemus quibus reges tanquam statuis mercurialibus (ut dicitur) admoniti in cooptando senatu, inq; amicis assumendis, non facilè aberrent. Primum itaq; uerè philosophi signum est, ipsa uirtus, nō ista

ista ociosa ac iners in sola contemplatione posita, sed quæ finem agendi prospiciens, honestos atq; dulces philosophiæ fructus producit: cum omnis uirtutis laus in actione consistit. Neq; enim nisi solo nomine philosophi sunt isti, qui uirtutum præcepta ad solam cognitionis uacantiā refferentes, ab ipsa actione, morumq; honestate procul absunt. Veluti non statim uerè diuites eos censemus, qui aurum collo appensum, cætero auri usu neglecto, gratia ostentationis, circumferunt, sed qui liberalitate in amicos atq; pauperes, magnificentia in rempublicam usi, de hominum genere benè merentur. Hoc igitur signum, uirtutem uidelicet, secutus rex, haud temerè in deligendo senatu errabit. Philosophos enim eliget, hoc est, uirtutis studiosos, quorum os, præbendis consilijs, nil nisi ipsam uirtutē personet. Nam ubi improbitatem cooptet in senatum, se atq; rempublicam summum in discrimen conijciet, uitam ac salutem suam proditioni, rēpublicam prædæ exponendo. Quid enim improbitas non audet spe lucri? Quid non cogitat ac molitur nouarum rerum studio, qui semel pudore abiecto, ac honestate exclusa, turpitudini nomen dedit? Alterum signum est, ut simulatq; uirtutem futuro senatori inesse perspexerit cæterorum omnium fundamentum, tum demum

aciem mentis in hoc dirigat, ne suus sibi senator consilij inops sit, sed præter cæteros priuatos, eo polleat, & possit. Ista enim simplex ac sancta rusticitas, sine consilij facultate, reipublicæ oneri sustinendo impar est & inepta, ordiniq; tam splendido atq; adeo regis maiestati oneri potius quàm honori. Consilij uerò authoritas atq; uis ex tribus coalescit. Ex magnarum rerum scientia, ex longo usu, atq; ex facultate dicendi. Multarum magnarumq; rerum notitiam, & facultatem dicendi, studium philosophiæ, ceu perennis fons, affatim sufficiet. Hanc quidem non modo ad sensa animi aptè atq; appositè exprimenda, sed etiam ad animos auditorum permouendos, & ui & suauitate dicendi, ad permulcendam atq; placandam iram regis, si(ut fit) inconsultius exarserit, ad cupiditates uoluptatesq; retundendas, si in eas præceps feratur: ac ut in suam ipsius sententiam, quam reipublicæ salutarem credit fore, animum eius impellat perducatq;, & à contraria auellat ac retrahat. Mirum enim quàm potest in animis hominum eloquentia. Illam uerò, cognitionem inquã rerum in hoc potissimum senatori philosophia subministrat, quò antecessiones ac exitus rerum inter se comparando uideat

Quæ sint, quæ fuerit, quæ mox uẽtura trahãtur

Pectusq;

Pectusq; suum sanctissimis consiliorum decretis refertum, in salutem reipublicæ, ac principis sui honorem ubi tempus & res postulat, aperiat atq; exprimat. Neq; enim facilè crediderim, cõsilio sacrare eum præstare, qui nullam uariarũ magnarumq; rerum cognitionem, in penu ingenij sui repositam, ex studio literarum atq; philosophiæ sibi ipsi comparauerit. At uerò magnarum rerum cognitionem certiorem ac usibus reipublicæ aptiorem efficiet, si ei experientia prudentiæ mater, ac longus rerum usus, accesserit, Quod ita se habere in duobus Agamemnonis regis consiliarijs apertè, prudens antiquitas, expressit. Nam Heroicis illis ætatibus Vlyssem & Nestorem accepimus & fuisse & habitos esse sapientes. Quam quidem sapientiam in Vlysse decennalis error, in Nestore prouecta ætas, rerum experientia longoq; usu, auxit & cõfirmauit. De Vlysse sic Horatius penè ad uerbũ ex Homero.

Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem
Qui domitor Troiæ, multorũ prouidus urbes
Et mores hominũ inspexit, latũq; per æquor
Dũ sibi dũ socijs reditũ parat, aspera multa
Pertulit, aduersis rerum immersabilis undis

Nestoris autem sapientiæ, rerum usu confirma

 tæ

te, uel rex Agamemnon testis est, cum Iouem,
Mineruam, atq; Apollinem precatur, decem cō-
siliarios, Nestori similes sibi dari. Et idem ipse
Homerus neutri ademit uim & suauitatem di-
cēdi. Nā Vlyssi tantā uim dicēdi tribuit, ut Græ
cos, orāte eodē ipso Vlysse, exclamātes inducat
præ admiratiōe, cū eius orationē laudarēt. Ne-
stori autem addidit suauitatem. Quòd ex eius
ore melle dulcior fluebat oratio. Itaq; palam
est, signum id esse philosophi pollere consilio,
quod utiq; rerum notitia usu confirmata, ac
ratione dicendi diffinimus. Quod sanè utrumq;
ex philosophia peti debere, ex his que hactemus
diximus satis constat.

Tertium signum est ueri philosophi, atq; erudi-
ti senatoris, libertas obiurgandi, consulendi &
admonendi, siquid aut in principe suo, aut in re-
publica minus probet. Cuius quidem libertatis,
nulla sanè studia, nullū professionis genus, ma-
iorem copiā præbent affatim, quàm ipsa phi-
losophia, si quem decretis ac præceptis suis a-
lendum ac formandum susceperit. Rectè Ari-
stippus interrogatus quidnā sibi ex philosophi-
æ studijs quæsissuiet, posse, īquit, omnibus fiden-
ter loqui. Hinc suam illam loquendi libertatem
Socrates & Plato habuerunt. Alter siquidem,
Alcibiadem liberè coarguens, ueras expressit

lachrymas, alter Dionem, cum esset florentissi-
mus, & ob formam rerumq; magnitudinē om-
nium in se animos conuertisset, admonuit caue-
ret contumaciam, ut cuius comes esset solitudo.
Et tanta uterq; dicendi libertate usus erat, ut
neq; minis mortis, Atheniensiū corrupto iudicio,
neq; timore seruitutis, Dionysij tyrannide pro-
positis, à ueritate ac fiducia loquendi, abduci
potuerint. Quid Theodorū Cyrenæum philoso-
phum nonne miramur? Cui cū Lysimachus rex
crucem minaretur, Istis quæso (inquit) ista hor
ribilia minitare purpuratis tuis, Theodori qui-
dem nihil interest, humine an sublime putrescat.
Quid Anaxarchus philosophus Democriticus, qui
quum Cypri in manus Nicocreontis regis inci-
disset, nullum supplicij genus deprecatus est, neq;
recusauit: quin cum in mortario pistillo tunde-
retur, tunde tunde (inquit) Anaxarchi follem,
Anaxarchum enim non tundis. O diuinum mu-
nus philosophia, quæ tantum animi ac roboris,
tantum fortitudinis atq; constantiæ, mortalium
mentibus ingeneras. Te fretus Solon, Crœso de
fœlicitate percontanti, Tellum nescio quem A-
theniensem, obscurum hominem, atq; Bitonē &
Cleobin, pronunciauit esse fœliciores. Te fretus
Epicharmus qui, cum Hieron quosdam è famili-
aribus suis è medio sustulisset, paucisq; post die-

bus, eum uocasset ad coenam, At nuper inquit cum imolares amicos, non uocabas. Te fretus Antiphon, qui cum apud Dionysium, quæreretur ac disputaretur, quod æris genus esset optimũ, illud (inquit) ex quo statuas Harmodij, & Aristogitonis fecerunt Athenienses. Quanquã & hic prudentia senatoris requiritur ne uel intempestiua libertate abusus suam ipsius iniuriã non reipublicæ persequi uideatur, uel acerbius quam ipsa res postulet obiurgando, fines modestiæ transeat, uel histrionicam scurrilitatẽ adhibendo, admonitionis legem uiolet, quæ & seria & bené morata esse debet, ac quibusdam ueluti tectorijs incrustata, Vides quam ea in re, non modo sapientia senatoris in consilio præstando, ac liberé præstando, requiratur, sed & animus ipsius regis præceptis philosophiæ imbutus, ac longo rerum usu confirmatus: ne lapsus turpi errore, pro fidelibus amicis & sibi & reipublicæ assentatores eligat, qui suis ipsorum commodis inseruiendo & salutem regis ac honorem risum iocumq; esse putent, & rempublicam quæstum, in his iocularem suam artem atq; perniciosam, tanquam palæstra exercẽtes. Quo genere hominũ nihil aut dici posse aut fingi nocentius Bias indicat, quum interrogatus, quod esset animal omnium maximé noxium, inter fera, respondit, tyrannus, inter domestica adulator. Atq; eo magis nocet hæc pestis, quòd, quẽadmodum pediculi humida capita, & caprifici prealtas rupes, ita turba adulatorum, amplas fortunas regũ sectatur, & summa quæq; petit. Quare maior cautio adhibenda est, ne pro iusto senatu, qui non sit à studio philosophiæ alienus, hoc est, qui uirtute consilio, ac libertate loquendi possit, turba assentatorum, tam præclarũ ordinem reipublicæ ac regibus summé necessariũ, dehonestemus, quod tum fiet, cum summo studio, ad curam scholarum, unde talia peti solent, incumbemus.

NE POPULUM QUIDEM, UT MAGISTRAtui sponte ac lubens pareat, educatione ex literarum præceptis atq; institutis philosophiæ petita, ad studiumq; & amorem uirtutis impellente, uacuum esse debere.

CAPUT IX.

Superest postremus ordo, plebis seu uulgi uel potius populi. Cuius ordinis, omnium iudicio, illud uel maximé officium est, regi suo, magistratibusq;, ac legum decretis parere. Etenim quẽadmodũ

admodum in sexu muliebri laudis seges, non iura, nec arma, inquit poëta, unica materia est coniunx miser, solaq; fides coniugalis, ad extremum usq; seruata, uxores illustrat (quod in Cornelia Pompeij atq; Penolope Vlyssis cernere est. Nam

Si nihil aduersi durus uidisset Vlysses,
Penelope fœlix sed sine laude foret.

Et nisi adeo tristes casus Pompeium pressissent non illud Cornelia audisset

Habes aditum mansuræ in secula famæ)

Ita populi honor nulla re alia in tam claro splē doris loco ponitur, quam facili animo & prompta uoluntate parendi. Licet enim uulgo, summam illam laudem artis & facultatis gubernādæ reipublicæ, Plato adimat, parendi tamē gloriam nemo aufert. Scité Theopompus Lacedæmoniorum rex, asserenti cuidā, propterea Spartam saluam & incolumem esse, quòd regibus uteretur imperandi gnaris, Imo (inquit) & ciuibus & populo regibus obsequente. Quanquam re uera ex altero alterum fit, atq; utrumq; sine mutatione se continet. Proinde plurimorū hæc fertur sententia, id maximé ad disciplinam ciuilem instituendam attinere, ut principibus ciuitatis, & rempublicam rectè administrantibus, ciues quoq; bene moratos & temperatos exhibeas. Plures enim ubiq; iuueniri qui regantur, quàm qui regat. Rectoribus item rempublicam administrandi parui definitiq; temporis potestatem dari, hos uerò qui in ciuitate uersantur per omnem ferè uitam regendos exhiberi. Quā quidem ad rem, hoc est parendi facultatem educationis, studium uirtutisq; amor, tam necessaria esse putantur, quàm ad uitam atq; respirationē ipse aër. Hinc Socrates apud Platonem, si rectè (inquit) ciuitatem gubernaturus es, uirtute imbuendi sunt ciues. Is siquidem rectè gubernat ciuitatem, cui sunt obsequentes & beneuoli ciues sui, quod tum demum fiet, cum educationem arcē uirtutis, à prima ætate, naturæ humanæ paulo ferociori, ueluti indomito ac sternaci equo frena adhibeas, qua, sensim perturbationibus domitis, rectæq; rationi parentibus, consuefacias naturam tuam per se ferociorem, ad obsequendum magistratibus sponte sua. Difficile est enim sensum hominis, ignobilis uulgi præsertim, nactū laxas habenas à primo sui exortu in officio continere: Difficile intra uirtutis cancellos hij tenentur, qui omnem uitæ suæ modum in turpes libidinū uoluptates, in impotentes ardores iræ, in cupiditates ac spes lucri, in omnem deniq; lernam malorum longo ac præduro usu, præfractáq; consuetudine, proiecerunt. Hinc discordiarum graues occasiones, hinc turbulenti tumultus.

tus, hinc factiones inter ciues, hinc importuna illa temeritas scelerum mater, hinc cædes, adulteria, stupra, ac omne uitiorum genus, scelerumq; noua facies exurgit. Sed quemadmodum feras beluas crudelitate insignes, prima ætate, nobis parere consuefacim9 freno ac ferro, quo posthac eis facilioribus, seu ad ludum seu ad opus necessarium utamur: ita hominum natura ferox ac contumax, educationis ui, rabiem suam deponit, & ad uirtutem persequendam, atq; ad magistratus ac imperia sustinenda, aptior fit. Quod etiam grauissimus poëta, meo quidem iudicio, significare uidetur, illis uersibus quibus tẽpestatem maris sedatam esse describit.

Ac ueluti magno in populo cũ sæpe coorta est
Seditio, seuitq; animis ignobile uulgus
Iãq; faces & saxa uolãt, furor arma ministrat

En quanta perturbationum seditio, quanta affectionum uis in uulgo multorum capitum belua, uel ad arma usq; erumpens. Sed audi quo sedatur, tãq; placida redditur atq; mitis quã ouis est

Tũ pietate grauẽ ac meritis si forte uirũ quẽ
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstãt.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Hæc illa ratio est tantas seditiones in nobis sedans, tam impotentes perturbationum motus componens, omnia in suum ordinem, educationis ui, ac

ui, ac uirtutis beneficio, deinceps in obsequiũ redigendo. Igitur ut semel finiam, non modo in sacro illo ordine Sacerdotum, ad cæterorum splẽdorem atq; iubar: in rege ad iusta imperia, in Senatore ad sancta ac liberè danda consilia, & ad hæc philosophiam ac literas bonas, educationem ac uirtutis studium requiri, sed etiam in hoc ordine plebeio ut sponte ac lubens magistratibus pareat, uel sola simulachra uirtutis rectæq; educationis, magnum momentum habere ex his quæ hactenus diximus, palam est.

NE MILITIAM QVIDEM ABSQVE LITERIS esse debere.

CAPVT X.

Quæcumq; hactenus dicta sunt de reipublicæ ordinibus, apertè testari uidentur, bene institutas scholas, magnam reipublicæ uim ingensq; momentum adferre. Verum ne bellica etiã atq; militaris ratio, quæ facit ut in pace securè & tranquillè uiuamus, maxima & utilissima reipublicæ pars, quòd nihil planè cum doctrina ac literis commune habere uideatur, omnem chorum musarum à consortio atq; consuetudine sui non sine superbo ac tumido fastu, amoueat excludatq;

pauca

pauca quædam hac de re etiam dicemus. Theophrastus igitur diuinus philosophus & eloquētiæ nomie clarissimus uexatur & libris & scholis omnium philosophorum quòd in Calisthene suo laudarit illam sententiam, uitam regit fortuna non sapiētia, idq; meritò iudicio meo. Quiuis enim & ipse summus orator Græcorū Demosthenes, magni momenti esse fortunam in rebus humanis, existimet. Et latinorum Cicero asseueret, magnam uim esse in fortuna in utrāq; partem uel secundas ad res uel aduersas, Tamē adduci non possum ut credam plus fortunā ad bona corporis & externa, sapientia, prudentia, atq; consilio ualere. Etenim quæ casus & fortuna iecerit arte & consilio possunt atq; debent emendari & corrigi. Proinde Plato atq; Comicus Latinus, uitam aleæ comparando, aut utriq; parem, aut consilio maiorem potestatē uisi sunt tribuisse. Ita (inquit Comicus) uita hominū est quasi cum ludas tesseris.

Si illud quod est maximè opus iactu nō cadit
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

In uita namq; hominum duo sunt quæ præcipuè dominantur, aleæ uidelicet iactus, hoc est uis fortunæ: & sapientiæ, prudentiæ consilijq; d num, Vt semper eodem modo res cadant in nobis sitū non est, fortunæ id totum arbitrio debetur, ut consi-

consilio iactum aleæ emendemus, id totum in nobis est. Sicut enim qui in proteruam canem lapidem librans ac ab illa aberrans, cum nouercam non destinatò percusisset, ne hoc quidem (inquit fortunæ casum emendans) modo malè: ita & fortunam retrorsum quàm uolumus cadentem emendare, aliorsumq; uertere licet cum in omnibus actionibus uitæ tum in bello, ubi fortunæ iactus consilio debet maximè emendari ac corrigi. Neq; uero quisquam tam agresti ingenio est ac rudis, & ab illo honestissimo & castissimo Musarū choro alienus, qui illustres ac celebres imperatorum res gestas, præclara stratagemata, urbium munitissimarum natura & arte oppugnationes atq; euersiones, regnorum occupationes, fortunæ uanitati adscribi uelit, quæ leuis est & inconstans, non summis imperatorum consilijs, quibus ante & retro prospicientes ardua quæq; magno constantiq; animo aggrediuntur. Audacem Aunibalem & exultantē fortūa in Campania, fregit Fabij cūctatio: Cūctatiò inquā ex scientiæ atq; sapientiæ penetralibus progressa, re ita exigente, Siquidem si Thucydidi credimus, Inscitia quidem audaciam, prudentia uerò cunctationem parit. Diuinum Scipionis consilium, hanc ipsam fortunam Annibalis, rebus Romanorum iam propemodum desperatis

desperatis, iam iamq; Romanæ arci imminen=
tem subitò commutauit. Nisi enim nouum con=
silium exercitus in Africam traijciendi Scipio
concepisset, uix unquam uictorem Annibalem
ab Italiæ solo ac Campaniæ amœnitate abstra=
xisset. Tantam in fortuna sua Annibal spem con
ceperat Romanæ urbis potiũdæ, ut ab Italia a=
uulsus singulari consilio Scipionis, non sine la=
chrymis, sæpe retro spectans, discederet. Alexan
der magnus in spem pulcherrimi imperij addu=
ctus est non diuitiarum copia. Nam exhaustis
Philippi thesauris in tanta difficultate rei nu=
mariæ fuit, ut fœnus etiam ducentorum talen=
torum accederet: non Macedonum sociorumq;
auxilio. Macedonia enim malè cogitans ad re=
bellionem spectabat, irruperant Illirij, Scythæ
occasioni imminebant: Non deniq; fortuna: Quì
enim diuinare potuit Alexander atq; polliceri
fortunam semper sibi propitiam, semperq; eodẽ
uultu fore? Maximæ cuiq; fortunæ minimè cre=
dendum est, in bello præsertim ubi classicum tu=
ba canit, ubi nunquam certa, semper sperata ui=
ctoria, ubi nusquam minus euentus respondent:
Non multitudine militum, Etenim tribus &
quadraginta peditum millibus, quinq; equitum
& quingentis tantam rem aggressus est. Quo
tandem fretus Alexander in eam cogitationem
addu=

adductus est, ut tam pulcherrimum facinus ag=
gressus, imperium totius orbis sibi polliceretur?
His nimirum quibus eum philosophia, Aristotele
præceptore, instruxerat bene fretus, animũ ad
expeditionem adiecit. Animi uidelicet magnitu=
dine, rerum intelligentia, moderatione, fortitu=
dine. Testis est rex Darius Alexandrum non tã
fortuna quàm comite uirtute, tot gentes subiu=
gasse. Nam cum unus esset eorum, qui rerum
potiri Alexandrum fortunæ beneficio dicerent.
Simulatq; omnia accuratè perscrutatus, id quod
erat cõperisset. Non usq; adeo (inquit) res Per=
sarũ comploratæ sunt, nec prorsus ignauos im=
bellesq; dixerit, qui ab huiusmodi hoste supera=
tos audierit. Ac ne ipse quidem Philippus tot flo
rentissima regna ditioni suæ subegisset, ni, obses
ab Illirijs Thebas missus, ijsdem in ædibus cum
Epaminunda præceptis Pythagoricis institutus
fuisset. Fortuna igitur haud tantam uim in bel=
lo habere debet uideri, ut nunquam prudentiæ
cedat, Nunc pari inter se passu ista, nunc supe=
riori pro rerum uicissitudine, incedunt. Quod
alea fortunæ malè iecerit, hoc solertia cõsilij ac
prudentia corrigit, & contra, quod consilium
bene cœpit hoc uis fortunæ, ut est Dea mutabi=
lis ac inconstans, nũc perficit nunc euertit. Iam
uero eloquentia, quæ absq; magnarum rerũ &

disciplinarum cognitione perfecta esse nō potest quemadmodum & superius dictum est., tam imperatori necessaria est, quàm arma, quam fortunà, quàm authoritas, quàm artis militaris peritia. Maxima enim uis est eloquētiæ, in utrāq; partem seu ad militum animos impellendos ut abiecto timore in hostem ruant, seu ad retinendos ubi subsistere expediat, maxima ad motus sedādos, seditionesq; componendas. Romanis aduersus Antiates, Volscos, Latinos, Hernicos, duce Camillo eductis, sed turbatis mentibus, cum tantam hostium multitudinem cernerent, ut se singulos cum centenis pugnaturos esse putarent, Camillus ante signa in aciem obuersus, tantum animi oratione sua cunctis adiecit, ut hostes in fugam uerterentur. Sic Iulius Cæsar cum militem suum belli ciuilis iam pertæsum, in apertā & grauem seditionem erupisse uideret, futurumq; ut aut omnino militari præsidio destitueretur, aut in uitæ discrimen ueniret, inermis, oratione sola ac ui dicendi fretus, Stetit aggere fulti (ut Lucanus canit)

Cespitis, intrepitus uultu, meruitq; timeri
Tamq; minaci & graui oratione mentes omnium terruit. Vt eodem poëta teste

tremeret sæua sub uoce minantis
Vulgus iners

Quid dicam de liberalibus illis ac ingenuis artibus

tibus Arithmetica, Astronomia, Geometria? quas ne militaris quidem ista ratio excludit. Palamedes (authore diuino Platone) Agamemnonem ridiculum fuisse ducem passim in Tragœdijs ostēdit: Profiteturq; se & numeri esse inuentorem & apud Troiam belli acies ordinasse, naues ac omnia reliqua numerasse, Agamemnonem autem neq; quot pedes haberet agnoscere, quòd esset calculi ignarus. Et profectò diligens tractatio numerorum uel hoc solo nomine Imperatoriæ arti mirificé congruit, quòd aciem mentis humanæ ad liberiorem perspicientiam, expeditioremq; intelligentiam eleuat, quæ res turbulētis illis ac dubijs temporibus, cum iam iam manus sunt cum host conserendæ, ubi inter spem & metum hæremus, apprimè in imperatore requiritur, qui non modo ipse non timere, sed etiam alijs, ne deiecto ac trepido sint animo, suo ipsius consilio & exemplo ex sapientia ac intrepidis sensibus profecto dux & author debet esse. Ac ut semel dicam quod sentio, tantum Arithmeticæ artis studium ingenia excolit, ut homines natura Arithmetici (sicut author est Plato) ad omnes doctrinas acuti esse uideantur, & si qui ingenio tardiores huic se studio dederint, si nihil aliud, illud profectò assequuntur, ut acutiores quam antea sint, & ad quæuis negotia, potissimumq; maxima expeditiores prōptioresq;

H 2 efficiant

efficiantur. Nec minus confert militiæ, astro-
rum cognitio, ad mutationes oportunitatesq; tē
porum, ad uanas timoris superstitiones ex ani-
mis militum eijciendas. Exemplo sunt pericles
Atheniensis qui solis obscuratione territos Athe
nienses, redditis eius rei causis, metu liberauit.
Et Sulpitius Gallus qui in exercitu. L. Pauli de
lunæ defectione disseruit, ne, uelut prodigio di-
uinitus facto militum animi terrerētur. Quod si
Nicias in Sicilia scisset, non eodem confusus metu
pulcherrimum Atheniensium exercitum per-
didisset. Taceo de Geometria & quòd ad castra
ponenda, regionem occupandam, colligendas
turmas uel etiam spargendas, & ad cætera ma-
chinamenta quibus circa acies uel in obsidione
utimur, permultum omnino intersit, Geometri-
cús ne aliquis sit an non. Syracusæ terra mariq;
simul à Romanis oppugnatæ, terrore ac primo
impetu capi proculdubio potuissent, ni Syracusis
ea tempestate fuisset Archimedes, unicus specta-
tor cœli sydorumq;, mirabilior tamen inuentor
ac machinator, bellicorum tormentorum ope-
rumq; quibus ea quæ hostes ingenti mole agerēt
ipse perleui momento ludificaretur. Is unus,
non sine geometriæ præsidio, obsidionem Syra-
cusarum in longius traxit, quæ ponderum ac mē
surarum certas quasdam præceptiones traden-
do al-

do altitudines turrium, murorum dimensiones
ex umbræ obseruatione cognoscit: ne uidelicet
tormentorum bellicorum inanes ac frustrato-
rij ictus sint, & ægré cum magno labore attol-
lantur. Hactenus de imperatoria facultate di-
ctum sit, cuius muneri profecto, sapientiam, pru
prudentiam, ac pené orbem disciplinarum om-
nium pernecessariū esse ex his quæ iam diximus
palam est. Primum ad impetus ac errores for-
tunæ corrigendos, Deinde ad uim eloquentiæ,
quæ sensib9 hominū faces admouet in hostē exci
tādo, & sedat furorē retinēdo. Postremo ad aci
es ordinādas, castra ponēda, obsidēdas urbes carū
q; oppugnationes sustinēdas: Nūc de milite etiā
gregario dicendum est. Quem sané non penitus
à philosophia arcemus, si modo & imperatori,
& reipublicæ suam fidem, laborum toleranti-
am fortitudinem, probatam esse uelit. Quí enim
fidus is ac fortis esse potest, cui non persuaserit
philosophia: nihil patria charius esse, nihil hono-
re reipublice iucundius, neminem bonum dubi-
tare mortem pro patria oppetere, si ei sit pro-
futurus. Mortem deniq; non esse finem, sed uitæ
beatioris iniciū, quæ immortales animos, in hoc
corporis ergastulo laboribus ac periculis defun
ctos, transfert in perpetuæ fœlicitatis atq; bea-
titudinis sinum. Nam qui in uoluptate ac cute cu
H 3 curan-

rãda fœlicitatem collocant, hij nĩl minus quàm magno animo fiunt, in prælijs pro republica suſceptis, nunquam ſe in hoſtes confertos dant amore huius uitæ, uel in leuiſſimis caſibus uehementer animo conſternantur, exanimantur, concidunt honoris ſui obliti & patriæ. At qui naturæ morumq; contemplatione, animorum ingeniorumq; pabulo, libenter detinentur, hij certè in aduerſis rebus eriguntur, latiores fieri uidentur, humana deſpiciunt, cogitantes ſupera atq; coeleſtia, hæc noſtra, ut exigua & minima, contemnunt. Rectius eſſe putantes honeſtè cadere & mori pro patria, pro aris & focis, pro amicis, pro cõiugibus ac liberis, quàm turpiter ac indecorè uiuere. Tales quippe animos mentibus hominum, diuinum munus philoſophia ingenerat, ut commodorum ſuorum obliti, omnes ſuas cogitationes, omnẽ deniq; operã rò traducant, quò decus patriæ & commodum, uel ſuo ipſorum corpore, ſi res ita poſtulet, acriter tueantur ac deffendãt, Vt uel ex eo ſole clarius appareat, non urbanas modo res, ſed bellicam etiam rationem ſtudijs bonarum literarum adiuuari, & quaſi mutuas operas ſibi tradere. Nam quemadmodum ſtudiorum dulcedine rebuſq; urbanis in pace tutò fruimur, beneficio præſidioq; militiæ, ita uiciſſim militia, abſq; literarum guſtu, illuſtris & frugi eſſe non poteſt.

Parũ

Parum ſunt foris arma niſi ſit conſilium domi. Et fruſtra habiturus es militem, ni ſimul habeas uirum bonum & fortem, & qui omnia non ſuis, ſed patriæ commodis metiatur. Quiq; non ruat in hoſtem temerè ſed conſulto. Cum, ut uates Lyricus aptè cecinit,

Vis conſili expers mole ruit ſua.

Ac ueluti eloquentia, abſq; iuris prudentia, patronis ac ſenatoribus, qui in republica atq; cauſis agendis uerſantur, ſterile quiddam eſt, neruis carens & ieiunum, contra leges ſine facultate orationis, inermes ac propemodum ocioſæ eſſe uidentur: Sic & militia contemplatione urbana, hæc uiciſſim militari præſidio communita, mutuo inter ſe auxilio utraq; in tuto collocãtur. Sed quæret quiſpiam, quid uerò tandem in mentẽ tibi uenit, ut militiam cum humanitatis atq; philoſophiæ ſtudio cõiunctã eſſe exiſtimares? Quid commune uirginibus Muſis cum Marte ſæuo? Quid bello cum literis? Videas bonam partem imperatorum ac militum, abſq; ullis literarum ornamentis, abſq; tuæ iſtius quam tu laudibus effers philoſophiæ ſtudio, naturæ ipſius habitu prope diuino, res memoratu dignas geſſiſſe: ualidos exercitꝰ fudiſſe, regna atq; terras hoſtiũ maxima uaſtitate affeciſſe. Quid Conſtantinus ille (ut miſſis externis noſtra exempla proferamus) ge-

 nere

nere ac religione Ruthenus? Quid Eustachius Et qui reipublicæ Polonæ superstites sunt adhuc cum summa laude & gloria rerum gestarum, Nicolaus Senauius, Ioannes Melecius, Andreas Thecinius Prethuiciusq;? nonne magnas barbarorum strages sæpenumero ediderunt? An non dubia queq; prælia, miro consilio, hostium consilia inquirentes, confecta nobis reliquerunt? ac pacem patriæ, sibi posterisq; suis immortale decus pepereunt? Num tuæ istius philosophiæ uel leui auxilio? num literarum istis momentis? nihil minus. Quî enim potuissent, qui quibusuis rebus potius quã aut humanitatis studijs, aut philosophiæ assueti res tantas aggressi sunt? Qua in re sic tibi respõdeo. Fateor quidem ego magnã esse naturæ uim in utramq; partem, ut aut militis nomine dignus esse, aut omnino ab armis tractandis abhorrere uideare. Memorandas res isti tui imperatores gesserint, prælia multa confecerint, hostes fuderint, hostium consilia indagarint, rectè acies ordinarint solo naturæ ductu Quid si ad illam naturæ bonitatem eximiã atq; illustrem, aliquod literarum philosophiæq; historiarum, atq; exemplorum penu, ratio quædam atq; confirmatio doctrinæ accessisset, iam & nos fortasse, pro Constantinis, Eustachijs Senauijs, Melecijs, Thecinijs, Prethuicijs: Fabios, Camillos,

Aemilios

Aemilios, Scipiões Marcellos Scæuolas habuissemus. Quod in uno, & sũmo imperatore, & præclaro regni Poloniæ senatore Ioãne Tharnouio propalam sine cõtrouersia cernere est. Is enim tanta est in rebus gerendis solertia, tanta prudentia in arte militari, tanta deniq; imperatoria uirtute, authoritate, atq; fœlicitate, ut cum pleraq; alia prælia non infeliciter confecta literarum ac historiæ ueterum studiossimum esse testẽtur, tum illud inprimis apud Obertinum, insigne mẽorabili clade ac reportata ex hoste Valacho uictoria, Vbi ille parua Polonorum manu, ingẽtes fortissimorum & exercitatissimorum hostium copias facilè fudit fugauitq;. Neq; illi ipsi præstantissimi imperatores atq; reges barbari Græci atq; Latini, Cyrus, Philippus, Themistocles, Lysander, Epaminundas, Africanus, Iulius, atq; Octauius Augusti, res gestas tam præclaras reliquissent, ni præstantem illum ac illustrem naturæ suæ habitum, literarum uel mediocri studio adiuuissent, Vt in istos milites gloriosos qui aliorum studia, præ studijs suis contemnunt, illud dictum Themistoclis prudentis imperatoris conueniat. Quum enim Athenis iuniores quidam eo imperatores prospere rebus gestis Themistocli se se præferendos censerent, ita respondit, ut diceret, Posterum olim diem festo cum die contendere

dere

disse, obstrepentem illum, solicitumq; esse dicentem, se uerò pridie apparata, fruenda per ociū præbere. At illum respondisse uera prorsus posterum diem dicere, sed si non fuissem, ubinam terrarum inquit esses? Ita neq; militaris disciplina bona esset, nisi bona institutio præcessisset. Præclare igitur miles, ne hoc tibi in mentem unquam ueniat, neue istiusmodi quippiam in arcana tui pectoris admittas, tecumq; ipse cogites, nihil tibi cum literarum studio, nihil cum honestissimis Musis, nihil cum Minerua castissima sapientiæ Dea, cumq; ipso Apolline præside studiorum esse commune. Improborum ineptorumq; hominum istæ sunt uoces, qui uentri atq; luxuriæ dediti, omnem suæ uitæ cursum, in turpissimas istas illecebras, corporis uoluptates proijcientes, omnē ingenij ac rationis rectiq; iudicij scintillā in se extinguūt. At uos clarissimi imperatores & milites, q ueræ militiæ nomē dedistis.

Si patriæ cupitis si uobis uiuere chari.

Disciplinarum, literarum, educationisq; curam, tantum ad uos liberosq; uestros quantum ad cæteros reipublicæ ordines, putate pertinere. Non temere fabellis suis poëtæ Mineruā non literarum modo, sed etiam belli Deam ipsamq; uirginem esse uoluerunt. quibusdam figurarum inuolucris innuentes, omnem militaris artis rationē, ex sapien-

ex sapientiæ studio, & uirtutum honestate pendêre. Vtinam is honos militiæ atq; literis tribueretur qui debetur, nihil profectò nostra hac Polona republica, florentius priuatim & publicè, nihil beatius uideremus.

STVDIORVM COMMODIS ATQVE FRVctu neminem quidem non affici, sed eorum curam precipuè ad regem ac senatum pertinere.

CAPVT XI

Cvm igitur nemo est in republica, quemadmodum satis superq; hactenus dictum est, adeò extremæ & abiectæ sortis, quem non afficiat præclarus odor disciplinarum atq; educationis, ab scholis rectè institutis in omnes reipublicæ partes longè lateq; diffusus: Quis est qui hanc ipsam officinam disciplinarum omnium honestatis atq; educationis fontem, non ad suam etiam suorumq; salutem, incolumitatem, ornamentum pertinere existimet? Neq; enim quisquā nisi perditus salutem aut perniciem reipublicæ cum sua suorumq; salute aut pernicie non coniungit. Quod utrumq; profectò, salus uidelicet & pernicies

& pernicies reipublicæ ex scholis hoc aut illo modo se habentibus prouenit. Nam si bene se habent Gymnasia, rempublicam manet spes & certa salus, sin perperam, timor & pernicies nō dubia, Vt mihi perinde facere uideantur qui & excitant Academias & ornant, atq; diligentes & cauti agricolæ, qui ex apertis fontibus in agro exusto & æstuante aquam eliciūt. Nam ut

Illa cadens raucū per leuia murmur
Saxa ciet, scatebrisq; arentia tēperat arua:

Sic rectæ institutionis ratio ex Academijs ceu perenni fonte profluens, ac in omnes undiq; partes diffusa rempublicam uirtutibus, disciplinis ornat, expolit, ac temperat. Et unumquemq; muneris sui ac officij in rempublicam admonendo, nemini non parit salutem, incolumitatemq; pace & bello. Hoc enim illud est diues & honestū reipublicæ seminarum, Hinc reges mutuantur ea quibus iustè & moderatè imperent, sapienter & iustè ferant leges, & pareant ijsdem ipsis legibus à se latis, ne clarissima rerumpublicarum monarchia in turpem tyrannidem degeneret: Hinc ipse senatus rectè atq; pro republica consulit, priuati oblitus, Hinc uerbo & exemplo præest antistes & sacerdos. Hinc uulgus libenter & promptè paret. Hinc deniq; imperator prudentiam instruendi exercitus, consilium

celere & salubre, uariaq; stratagemata petit, & miles abiecto omni metu pro republica uitā fundit. Ergo ut aquis sitibundus ager irrigatur ne seges intereat: Ita hac ipsa bonarū literarū officina nutāti labantiq; reipublicæ succurritur Nā isti qui disciplinarū studia aut omnino ad rēpublicā non admittunt aut nutātibus labantibusq; nō subueniūt, nō dissimiles ferè illis sunt qui nauim onustā uectoribus atq; nautis, nudatā tamē remis ac uelis, omniq; nauticorū remorū præsidio, tēpestate obruendam, in alto mari fluctibusq; medijs relinquunt. Sed quoniam ad regis maiestatē, & fidem Senatus pertinet, ad rem publicam nō tanquam ad nundinas & lucella accedere, ut nequiter Stratocles & Dramoclides, qui se ad messem auream (sic enim ioco curiam & tribunal appellabant) inuitare mutuò soliti sunt: Certè regum illud præcipuum munus est, eorumq; qui dignitate proximè reges accedunt, ut, neq; sibijpsis, neq; suis ipsorum lucris, sed ad reipublicæ salutem, incolumitatem decus & ornamentū, se & natos & factos esse certò sciant. Propterea & philosophiæ fons Homerus, qui suam fere omnem poësim, ad præclaram quandam & insignem reipublicæ formam relatam atq; adcommodatam, composuit. Somnum Deum, à Ioue summo, ad regem Agamemnonem

nonem missum adfingens, eundem ipsum Agamemnonem à somno increpatum fuisse inducit quòd cùm pro regis ac imperatoris officio, saluti tot populorum debeat prouidere atq; prospicere salutari consilio & cura, tamen, quasi priuatus esset, totam noctem in utramq; aurem dormiret. At uerò noster Homerus suum Aeneam laudandum imitandumq; nobis proponit, quòd is, principis officij, hoc est salutis suorum sociorum, non immemor,

per noctem plurima uoluens
Vt primum lux alma data est, exire, locosq;
Explorare nouos quas uento accesserit oras,
Qui teneāt (nā īculta uidet) hōines ne feræne
Quærere constituit, socijsq; exacta referre.

Vulgus enim rempublicā quidem saluam & florentem esse uult, sed non tam reipublicæ causa, quam ut se uitamq; suam, fortunasq; omnes tueatur, & conseruet, Atq; ad hoc ut reipublicæ bene uelit, ipsius reipublicæ causa, nulla publici muneris necessitate, sed sola uoluntate sæpe, honestate raro ducitur: Regem uerò atq; senatum non modo propria ipsius salus, liberorumq; suorum & coniugum, fortuna quoq; & dignitas quæ certè bonis omnibus curæ sunt, ad rempublicam, communemq; omnium salutem, ad aras & focos defendendos hortari & inuitare debent.

bent, sed publici muneris functio, quam illis respublica imposuit, seipsam suamq; & salutem & dignitatē committendo, magis magisq; eos ad id faciendum impellat necesse est. Qua profectò in re fallere fidem in priuatis quidem crimen est, in hijs uero quibus se respublica committit, scelus est nepharium, perpetuæ turpitudinis nota, acerbissimoq; pœnarum genere expiandum. Si igitur nemo est omnium mortalium, ad quem propius magisq; cura & salus reipublicæ pertineat, illis ipsis quorum uirtuti ac fidei ipsa se respublica committit: Omnes profecto corporis uires ac neruos, animiq; cogitationes intendant oportet reges proceresq; regni, ad instituendas, instruendas, ornandasq; officinas bonarū literarum & uirtutis: Ardentiusq; studium atq; curam ad eas ipsas res adhibeant, necesse est, ut quorum præsidio, non tam fortunis hominum quàm ipsis hominibus succuritur. Etenim opes honoresq;, decor & ualetudo, cæteraq; id genus fortunæ bona & corporis, ditiores, honestiores, formosiores, ualentioresq; fortasse, meliores nequaquā efficiunt: neq; tam ornāt homines quàm ipsis hominibus annexa, At uerò sola bonarum literarum, & uirtutis assidua illa & iugis exercitatio hominis propria est, Eamq; nostri partem qua maximè homines & dicimur & sumus

sumus excolit, ut, qui reipublicæ presunt, nulla alia re magis nocere reipublicæ uideri possint, quàm contemptione Scholarum, nulla autem uerius & minus obscurè prodesse non tranquilitati modo & saluti, sed & honestati & dignitati communi, quàm bonarum literarum studio aut respectu & disciplinarum cura. Etenim artes pacis & belli, quibus & rempublicam, & ipsa reipublicæ capita, partim ad imperandum, aut iudicandum, partim ad propulsanda pericula optimè instructa esse oportet, nusquam neque comodius, neq; copiosius, quàm ex diuiti diuinæ philosophiæ penu, peti solent. Et si enim (ut rem tantam de qua superius quidem latissimè disseruimus, nunc quàm paucissimis comprehendamus) semina scientiæ, prudentiæ, sapientiæ ac eius uirtutis, quam Græci σωφροσύνην uocant: Deinde liberalitatis, temperantiæ, comitatis, affabilitatis, æquitatis, iustitiæ, fidei, frangendarũ cupiditatum: Et quæ principum sunt propria, magnificentiæ, magnanimitatis. atq; eius uirtutis, in qua cohortandi, consolandi & persuadendi facultas est, quæ nos, iuris, legum, urbium societate deuincit, quæ à uita immani & fera segregat, omniumq; ferè aliarum uirtutum, quæ bene imperandi artes sunt, occulta naturæ uis nobis ministrat, ut simus idonei ad bene & honeste ui-

stè uiuendum, tamen ut beatè honestè hoc est cũ uirtute uiuamus, id omne philosophiæ acceptũ ferre debemus. Hæc enim, ea quæ inchoantur natura, partim tractatione & cultura ampliora, augustiora, atq; conspectiora nobis reddit, partim consuetudine nostra perficit, quæ utiq; consuetudo & ipsa sine magistra & duce cognitione esse non potest. Neq; enim quicquam consuescimus nisi agendo, neq; agimus quod ante non didicimus. Et sicut multæ & pecudes & stirpes sunt, quæ natura factæ, sine procuratione hominum saluæ tamen esse non possunt, ita uirtutes ex natura progressæ, nihilominus hominum solertiam, diligentiam, philosophiæq; culturam & tractationem desyderant, ut, & perfectæ sint, & ad rempublicam gubernandam idoneæ. Nam iura agnationum, cognationum, gentilitatum, sponsaliorum, connubiorum, adfinitatum, donationum causa mortis propter nuptias inter uirum & uxorem, stipulationum, mutui, solutionis indebiti, commodati, depositi, pignoris, empti, uẽditi, locati, conducti, societatis, mandati, negotiorum gestorum, tutelæ, communi diuidundo, familiæ herciscundæ, legatorum, usucapionum, deniq; alluuionum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, hæreditatum, possessionis bonorum, illa præte-

I rea

rea præmiorum atq; pœnarum æqua & iusta
distributio, & eiusmodi rerum infinita uis alia,
ex quibus omnibus est, & societas hominum in-
ter ipsos, & salus ciuitatum rerumq; publicarū
tranquillitas & pax, atq; iudicandi facultas &
ratio, ex ea parte philosophiæ, quam iurisprudenti-
dentiam aut legum peritiam uocamus, prope-
modum tota pendet. Quid enim de belli artibus
dicam? hoc est instrumentis, nō illis quidem quæ
manu & arte opificum fabricantur, hastis uide-
licet, gladijs, pilis, scutis, loricis, arcu, atq; sagit-
tis, sed quibus in obsidione uel oppugnatione
urbium, in fossis faciendis, uallo ducendo, agen-
dis cuniculis, fluminibus adducendis uel auertē-
dis, machinis seu tormentis bellicis admouendis,
aut leuandis, legionibus instruendis, stationibus
collocandis, cæterisq; eiusmodi rebus superius à
nobis latius recensitis, imperatores uti solent:
Nam ista omnia ea philosophiæ pars, cui mathe-
maticæ dimensiones, figuræ, magnitudines curæ
sunt, abunde suppeditat. Qui ergo istas bona-
rum literarum officinas negligunt, contemnunt,
reijciunt, unde tot pacis & belli artes ad salu-
tem & ornamentum reipublicæ comparantur,
Hij & reipublicæ proditionis obnoxij, & officij
sui planè obliti, salutem quidem & incolumita-
tem reipublicæ ad naufragij infœlicia saxa, de-

cus

cus uero de ornamentum ad omnes turpitudi-
num illecebras, proijciunt, & allidunt. At, qui
instituunt, procurant & ornant Academias om-
nibus modis, hij in sua republica, templum reli-
gioni, pietati, iustitiæ, consilio, paci, atq; honesta-
ti, & sibi nominiq; suo gloriam immortalē æter
numq; decus ubiq; exædificant. Hoc enim Ale-
xander magnus spectasse mihi tum uisus est, cum
& arculā qua nihil erat inter opes Darij, neq;
magis sumptuosum, neq; ornatius, amicis alijs
aliud suadentibus, adseruando Homero philoso-
phiæ fonti, assignaret, & amplis ubiq; honori-
bus, muneribusq; philosophos cumularet. Hoc
ptolæmeus Lagi filius prouidit, bibliotheca illa
sua quam clarissimam ex omnium Græcorum
uoluminum Alexandriæ construxit: hoc Dicta-
tor Sylla, deferens Romam, ex Apeliconis Tei
bibliotheca, Aristotelis & Theophrasti uolumi-
na. Hoc sibi uolunt effusi illi ac liberales sum-
ptus in eruditos philosophiæ præceptores, Octa-
uij Augusti, Vespasiani, Adriani. M. Antonij, cæ-
terorumq; imperatorum Romanorum. Hoc præ
terea Caroli Magni propositum fuit, excitatis
duobus Gymnasijs in Gallijs Parisijs & Ticini.
Hoc item prospexit Veneta respublica, tot secu-
lis incolumis & florens, dum singulari quodam
studio bonas literas prosequitur & fouet, Hoc

 deniq;

deniq; proposito Casimirus & Ladislaus nostri reges, Gymnasium Cracouiæ posuerunt. Videbāt enim sapientissimi principes paratiores se suosq; successores, eo modo ad rempublicam accessuros, cum ex illa bonarum disciplinarū officina, tum salubris sibi senatuiq; suo, cōsilij uis ac copia ad rectè gubernandum, tum uulgo ad promptè parendum disciplina abundè suppeteret. Et rectè sanè, Id enim uerè principis est & amatoris patriæ, nō qđ ante pedes modo est uidere, sed etiam illa quæ futura sunt prospicere, hoc est non solum se uiuo aut regnāte, rempublicā saluam uelle, uerum posteris etiam suis omnino prouidere. Nam illa uox nefaria aut Phalaridis aut Sardanapali cuiusdam est. Me mortuo uel terra misceatur incendio. Iam uerò quid magis regium possit uideri, quam gloriam rectè factorum, neq; isto breui spatio uitæ, neq; unius alicuius loci angustijs cōtineri? Quid enim reipublicæ utilius, quàm præclara fortium uirorum facinora & ciuilia & bellica, in perpetua hominū memoria uersari? Quòd ea res & ad bene merendum de republica, uelut acer quidam stimulus incitat atq; impellit plurimos: & magnam exemplorum uim & copiam præbet, partim ad uirtutis amorem, partim ad benè cōsulendū atq; è reipublicæ commodo, Quis enim uel sal-

uel saltem leuiter nō commoueatur, Mutij, Curtij, Deciorum, Scipionum, Reguli, Camilli, Fabij, Annibalis, Cyri, Codri, Alexandri, Darij, Themistoclis, Epaminundæ, Lysandri aliorumq; eius generis memorabilibus exemplis, Latinorum, Græcorum, Barbarorumq;, qui pugnantes pro patriæ libertate ceciderunt? Atqui horum omnium præclara facinora, & spectata uirtus ad memoriam posteritatis nequaquam peruenire potuissent, absq; bonarum literarum monimentis. Quid enim de Achille, Hectore, Agamemnone, Diomede, uiris fortissimis, cuiq̄ uenire in mentem posset, nisi etiam nunc uiuerent, Homeri uersibus commendati & illustres? Ac ne ipsius quidem Homeri, Solonis, Lycurgi, Socratis, Platonis, Aristotelis, uirorum doctissimorum & sapientissimorum uel minima recordatio atq; memoria nunc extaret, nisi illi, aut suis ipsorum scriptis, aut certè alienis, imaginem suam consecratam assiduè nobis redderent. Quapropter preclarè & uerè illud Alexander magnus cum in Sigæo ad Achillis tumulum astitisset O fortunate (inquit) adolescens, qui tuæ uirtutis præconem Homerum inueneris. Nā nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Et quidem nimium absurda res est, plerisq; nationibus id uel in pri-

mis curæ esse, ut res à se gestas monimentis literarum uendicatas ab interitu & occasu, immortalitati posteritatiq; traderent, à nostris uerò hominibus præclaram istam rem adeo negligi, ut quamuis etiam respublica Polona uirorũ fortiũ ferax sit, nulla tamen eorum memoria, aut admodum tenuis extet. Existimamus autem & nostros homines non diu eo honoris fructu carituros. Quamquam enim ad quos ea reipublicæ pars & cura propriè uideatur pertinere, quiq; cæteris (ut mox dicemus) ad honesta studia ornanda duces & authores esse debeant, remissos planeq; oscitantes esse uidemus, ea tamen SIGISMVNDVM Augustum regem nostrũ esse, & scimus ipsi, & ex alijs sæpe audimus, sapientia, prudentia, consilio, animo & uoluntate ut nolit officinam bonarum literarũ diutius inhonoratam iacere, partim ut ne à parentis sui optimi, maiorumq; moribus degenerare uideatur, partim ut una eademq; opera hoc etiã augmentum honoris regno suo publicè accederet, & suorum commodis priuatim consuleret, qui, aut immodicis sumptibus (quamuis ea liberalitas in nostris perrara est) quos in filios suos faciunt, consectantes per externas remotasq; Academias, studia bonarum literarum, patrimonia atterunt sua, aut (quæ plurima turba est) libe-

liberos suos, dum nimium rei suæ familiari parcunt, moribus incultis expertesq; literarum esse sinunt: partim uerò ne etiam ea in re quæ sui officij sunt, prætermisisse omnino non sine probro uideatur. Nec enim ignorat sapiens rex se custodem in republica, tanquam in quadam specula, in hoc positum esse ut omnes suis ipsorum in officijs, ut quisq; indiget, uel admonitione, uel certè pœna, retineat. Nam sicut qui nõ prohibet iniuriam cum possit, ipsum facere uideri, eodem ferè modo pariter peccat, qui aut non cogit nolentẽ cum cogere possit & debeat, aut uolentem ut possit nõ adiuuat. Quare sicut rectè Ioas rex Iudæ, summum pontificẽ Ioiadam negligentem quæ sui muneris essent, ad templi uidelicet sarta tecta restauranda coëgit: ita non ab re fortasse noster etiam rex cum suo senatu fecerit, si Episcoporum ordinẽ ad restituendas & ornandas scholas, negligentem admoneat, nolentem cogat, uolentem adiuuet, & authoritate & opibus. Sic enim saluti atq; ornamẽto reipublicæ cui plurimũ ipse debet, optimè ꝓspiciet, & cõsulet, priuatim & publicè.

GYMNASIA ORNARI, IVVENTVTEMQVE publicè institui sacerdotum propriè munus

esse, ipsosq; maximam Gymnasij partem & olim fuisse & nunc esse .?.

CAPVT XII

QVanquam facilè adducor ut credam, ordines sacerdotum iam tandem illud acturos esse sua sponte, quod maximè omnium muneris sui esse non ignorãt, quodq; ab eis praetermitti non potest, nisi uel cum maxima inuidiae & offensionis nota, uel totius reipublicae detrimento, ordinisq; sui dedecore & iactura. Nam quãtum habent nunc inuidiae, odij, contemptionis apud omnes, quòd se suosq; sacerdotes immerserunt ad ambas usq; aures in ista prophana negotia, atq; ad se minimè pertinentia, tantum è contrario omnium amorem & studia in se concitabunt, atq; honestatem aeternumq; decus referent, si, maiorun exempla imitati, ponent magnum studium & operam in disciplinis excolendis, inq; scholis earum ornandis. Et sicut diuinam prouidentiam admiramur & suspicimus, quòd istis uilioribus negotijs, operibus atq; procurationibus in hominum industriam reiectis, ut agricultura, satione, labore demetiendi fruges iam maturas, plantatione, resecatione surculorum, alijsq; huiuscemodi quae sua ipsorum industria possunt homines, in illo praestantissimo totius mundi opere cõsedit & conquieuit: Vt scilicet prouidentia & sapientia mirabili gubernet uniuersas caelorum conuersiones, ut ratos astrorum circuitus & ordines constituat, ut stellarum uagantium seu inerrantium uarios & contrarios motus ordinet, elementorum ; pulchrã collocationem disponat: Deniq; ut ipsius mundi ab imis ad summa aptam istam & concinnam rerum omnium connexionem, impetumq; caeli admirabilem ita moderetur & temperet, ut uicissitudines anniuersarias cum summa salute & conseruatione rerum omnium constantissimè cõfectas percipiamus: Sicut inquam sapientiã Dei ob hoc laudamus & miramur: Ita ordinem sacerdotum Antistitumq; omnium in hoc nobis positum & datum esse arbitramur & gaudemus, ut uirtutum, disciplinarum, & prudentiae sale atq; sapientiae lumine, mortalium animos à foeda & obscaena tabe uitiorum prohibeat. Atq; ut relictis omnibus, quae uel ipsorum officij ; planè non sunt uel parum admodum ad eorum munus attinent, in his solis consideant & morentur, diutiusq; inhaereant toto pectore & uirib9 unde educationis honestae, uirtutum atq; disciplinarum omnium, fons uberrimus profluit. Existimare enim debent, hanc Spartam non eis contigisse aliquo casu, sed simul cum ipso sacerdotis

l 5 atq; Epi=

atq; Episcopi munere ad eos delatam esse, quã ornent & excolant, Adeo ut cum studio literarum & scholarum cura, simul & munus suum abijciant, & se uitamq; omnẽ suam nephario scelere inuoluant. Iam uerò si in referenda gratia imitari debemus agros fertiles, qui reddere solent cum fœnore quod acceperunt: & eo plura reddũt quo plura acceperunt: profectò Episcopi cæteriq; ordines sacerdotum maximã hoc nomine debent gratiam bonis literis, quòd nemo uideri potest plus emolumenti aut ornamenti ab studio disciplinarum percepisse, quàm illi ipsi retulerunt. Cæteros enim aut natalium splendor commendat, aut uires corporis & formæ decor, aut opes & largitio prouehuut ad honores, aut certè ambitio & fauor popularis extollit. At uerò Antistitem, neq; fauor aut aura popularis aut natàles, neq; corporis aut fortunæ bona commendare debent sed sola gloria uirtutis & doctrinæ. Si igitur id quod ad emolumẽtum & ornamentum reipublicæ Episcopi conferunt priuatim & publicè, si lumen illud quo ouibus fidei suæ commissis prælucent, ac ultro sequentes dúcunt, & quo se ab odio & contemptione uendicant. Si deniq; totum illud quod & dicuntur & sunt hauriunt ab scholis literarum commodè institutis, hoc est ex arcano illo sacræ & pro-

& prophanæ philosophiæ fonte, Quis eorũ est ab communi sensu naturæ adeo alienus, qui curã bonarũ literarum plenè & cumulatè non ad se pertinere existimet? Modo nolit turpem ingratitudinis notam incurrere. Nusquam enim certè neq; maiorem referant laudem & gloriam, quàm si in studijs disciplinarum, inq; ipsarum officinis quibus omnia debent, propagandis & ornandis, omnem industriam exerceant, & ponãt studium omne suum in referenda gratia cumulatè, Nam boni uiri est cui plurimum debeat eidem perfectam cumulatamq; gratiam referre. Propterea ueteres & templorum honore tres gratias consecrauerunt, & pinxerunt unã auersam duas aduersas, ut hoc ceu signo admoneremur, cumulatam gratiam, cumulatius referri oportere. Itaq; & si neminem non decet plurimum beneficij in officinas literarum conferre. Omnes enim (ut superius diximus) ea suauitate odoris afflantur, omnes hinc tanquam ex amœnissimo prato decerpunt quibus se uitamq; suam tueantur & ornent: tamen sacri Episcoporum ordines, longè alijs omnibus præclariorem gratiam debent studijs disciplinarum, quòd inde maiora ornamenta & ampliores honores retulerunt. Illud autem eos, nescio annon maximè debet adhortari ad amorem & curam gymnasiorum,

rum, quòd sunt ipsimet præcipua pars scholarũ. Id enim omnibus mortalibus tum sedulo prospectum est ac prouisum, non Latinis modo Iudæis Christianis, uerum & barbaris, cum summam eruditionis & curam iuuentutis publicè educandæ, penes sacrũ ordinem esse uellent. Nam Galli in duo genera diuisa republica, quorum alterum est Druidum, alterum Equitum, hos quidẽ in bello uolunt uersari cum usus inciderit, illos autem rebus administrandis ac iuuentuti excolendæ, domi uacare. Qua de re ita Cæsar, Druidæ (inquit) rebus diuinis intersunt, sacrificia publica & priuata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adolescentum numerus disciplinæ caussa concurrit, magnoq; hij sunt apud illos honore. Nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisq; constituunt. Si quis aut priuatus aut populus eorum decreto non stetit sacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauissima, quibus ita est interdictum ij numero impiorum ac sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt, aditum eorum sermonemq; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, Neq; ijs petentibus ius redditur, neq; honos ullus communicatur. Druides à bello abesse consueuerunt, neq; tributa una cum reliquis pendunt, militiæ uacationem omniumq; rerum habent

bent immunitatem, tantis excitati præmijs & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à propinquis parentibusq; mittuntur. Magnum ibi numerum uersuum ediscere dicuntur. Ita nõnulli annos uicenos in disciplina permanẽt, neq; phas esse existimant ea literis mandare, cum in reliquis ferè rebuspublicis, priuatisq; rationib9, Græcis literis utantur. Id mihi duabus de causis instituisse uidentur quod neq; in uulgum disciplinam efferri uelint, neq; eos qui discunt literis cõfisos minus memoriæ studere, quòd plerisq; accidit, ut præsidio literarum, diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant, hæc Cesar. In eo etiam genere habẽtur philosophi apud Indos quo apud Gallos Druidæ, Dicunt enim (ut author est Strabo) totã Indorum multitudinem, in septem genera diuidi, quorum philosophi honore antecedunt, numero uerò paucissimi sunt, Vtuntur eorum unoquoq; priuatim qui mactant & sacrificant. publice uerò in eo conuentu qui maximus apud eos fit, cum nouo anno incipiente, philosophi omnes cum rege ad uenationem excunt. & quod quisq; composuerit uel obseruauerit eo anno de fructibus, de animalibus, de republica in medium proferunt. ubi qui ter mẽdax deprehensus fuerit, ei per totam uitam ex lege silentium indicitur, Qui uera dixerit immunis

nis & omni tributo exemptus censetur. Neq; id apud Aegyptios neglectum est, qui ciuilem & mitem uitam degentes in locis notis habitant, unde & ordo eorum memoratur & laudatur, uidentur enim recté uti regionis libertate, & bené cultam beneq; diuisam habere. Nam rege cõstituto regionem trifariam diuiseruut, & alios quidem milites, alios agricolas, alios sacerdotes uocauerunt. Sacerdotes cum regibus diuersabãtur, philosophiamq; et Astronomiam exercebãt. Idq; tanto honore & celebritate sui nominis, ut Diuus ille Plato Græciæ & philosophiæ ornamentum Aegyptum peragrauerit, ut à sacerdotibus barbaris numeros & cœlestia acciperet. Quid dicam de collegio Pontificum apud Romanos? penes quos & interpretandarum legũ summa autheritas erat, & proponendarum actionum uis ac potestas, & diuinarum humanarumq; rerum scientia? Quid mystica illa uox prophetarũ? quam Deus Optimus Maximus beneuolus ac pius magistram & castigatricem populo suo iussit esse, Quid aliud sibi uult? quàm ne homines rudes, procliues ad uitia, tenebris ignorantiæ offusis uersentur in perpetuo errore. stimulum hunc Deus uoluit esse hominibus ad honestam institutionem, gratiamq; facilius suscipiendam, illam ipsam quam orbi suo ab æterno promiserat. Lex enim pædagogus erat ad christum.

stum. Neq; incassum notissimi illi ordines in populo Israelitico, aut instituti aut sua spõte exorti sunt opiniorum studio, Essæorum, Sadduceorũ, Pharisæorum, quamuis enim inter se opinionibus dissentirent, in eo tamen conueniebant, ut consulentibus ac discere cupientibus præsto essent. Pharisæi singulis sabbatis Mosen in Synagogis legendum proponebant, quò rudis plebecula, diuina oracula uoce magistra cognosceret. Quare & uas electionis Paulus ad pedes Pharisæi Gamalielis sacram scripturam dedicit, Et Magi, qui salutem orbi natam quærentes in Iudæam usq; peruenerunt, Sacerdotes Hierosolymis percontantur de rege nuper nato, quòd penes hunc ordinem, legis diuinæ scientiam esse crederẽt. Gymnasij quædam erat species & forma ordo Pharisæorum, unde & præcepta legis & educationis exempla peterentur. Christiani item homines, euangelium pacis, certamq; spem suæ salutis, primum apostolorum uoce ac scriptis post cæterorum qui Apostolis successerunt præconio quasi per manus posteris suis tradiderunt, traduntq; etiã hoc tẽpore, huius sacri ordinis, quẽ sacerdotum uocamus, studio & conatu. Hinc illa cœnobiorum prisca uetusq; constitutio, præclara uereq; christiana, ubi homines diuini, uacui mundi huius illecebris curisq;, non orationi mo-

do quæ

do quæ christiano homini pernecessaria est, sed etiam diuinorum contemplationi uacarent. Atq; adeo toto pectore connixi, nihil meditarentur aliud, nihil cogitarent, nihil contemplarētur & cuperent, nisi sacram & arcanam diuini uerbi lectionem. Ex ea schola atq; officina, præclara illa uolumina Græcorum & Latinorum, cū sūmo rei christianæ emolumento prodierunt Origenis uideliaet, Nazianzeni, Chrisostomi, Basilij Hieronymi, Ambrosij, Augustini, aliorumq; eiusdem generis. Prisca enim illa ætate nihil aliud fuisse cænobia, quam scholas ac philosophiæ præsertim Christianæ officinas, cum pleraq; alia tū ille Italicus etiam nunc cœtus Monachorum testis locupletissimus potest esse. Namq; eius rei certissima apud Italcs uestigia adhuc extant in eo, quòd istic non populare certamen ineunt Monachi, quod nostris non rarò usu uenit, nec se illi penitus, turpi ocio dedunt, sed pleriq; philosophiæ ac literis sacris sedulò incumbunt & student. Neq; ibi aliunde insignia eruditionis in scripturis sacris, quàm à Monachis peti solent. Quāobrem in hoc sacro ordine sacerdotum, qui gymnasiorum potissima pars est hòc inprimis studium, eaq; solicitudo esse debet, ut iuuentus, materia, stirps, ac seges reipublicæ à primis statim cunabulis, cum ipso nutricis lacte, spem de se bonæ

bonæ

de se bonæ indolis, propter educationem, polliceatur, Verùm quoniam uel grauioribus negotijs occupati, quibus Episcopi apud nos distinentur, id quod proprium ipsorum est possunt minus: neq; si possent, liceret tantum ordinem ad infima & prophana deijcere: uel quòd quidā in arcana sacræ scripturæ perscrutanda, ita se totos, iure optimo, immerserūt, ut & nodos sacri mysterij de suggesto publicè dissoluerent, & scelera hominum insectando, gladio uerbi diuini præciderent, ut ad ista minus uacarent: uel quòd magna pars sacerdotum (pace eorum dictum sit) in tam crasso ignorātiæ errore uersantur, ut ea quæ sui officij sunt possent minus: Merito nec sine singulari consilio Clementis quinti decreto, in Concilio Vienn ensi cautū est, ut qui summo inter sacerdotes honore antecellunt & amplis censibus splendent, alios in sui locum sufficiant, & ornent præmijs ac honore, qui iuuentuti publicè instituendæ sedulò incumbant, literis primum prophanis ne illotas (quod aiunt) manus frustra ac temerè ad altiora admoueāt: mox sacris etiam, quò ita utraq; disciplina non malè instructi, hoc est & spolijs Aegyptiorum ornati, & Christiano uestitu resplendentes, Christianæ reipublicæ domi & militiæ usui esse possent. Olim isthuc in summo precio erat etiam apud nos, pu-

K blicè

blicè docendis iuuenibus incumbere, docendo discendoq; emori,nunc,opinione improborum, munere tam honesto nihil neq; fingi potest turpius,neq; dici. Agasones equisonesq; ornantur honoribus ac præmijs quòd præbent heris suis equos nitidos & faciles. Qui iuuenum animos & sanctissimis præceptis & honestissima educatione reddendo nitidiores,offerunt atq; exhibent reipublicæ,turpibus tamen conuicijs proscinduntur. Quod ne sit,in sacro sacerdotum atq; Episcoporum ordine situm est,cui uni præcipuè cura iuuentutis publicè instituendæ,necessario & pro officio incumbit. Neq; enim uel illa nomina scholasticorum honore aucta & censu, frustra in hoc sacro sacerdotum ordine posita sunt. Aut enim certè institutio iuuenum ac scholarum cura ad eos ipsos potissimum pertinet, ex ui nominis:aut si ne hoc quidem illi muneris sui esse putantes,titulos eiusmodi & nomina solius modo honoris ac census gratia expetunt, inuolant, ac gerunt,nihil minore quidem consilio maiore autem rei literariæ atq; Christianæ pernicie,quàm ista hæc nomina inuenta,& honore censuq; honestata esse iure optimo uidentur. Ac utinam tãtum operæ in hoc quod nostri officij est poneremus,quantum facimus sumptus in excitandis in cœlum proastijs,in apparãdis conuiuijs, in equis

alendis ac turba inutili,panis & uini teterrima ista peste,quæ strenuè & pulchrè seruit heris suis gula & uentre,id quod longissimi temporis ac necessarij penu esset,una hora luxuriosè consumendo,& princeps profectò longè nunc commodiore republica uteretur, & nos faciliores atq; sequaciores Christianos haberemus. Ergo (ut eò unde digressa est redeat oratio) cum sacri Episcoporum ordinis, splendori atq; dignitati,hoc præclarum curandarum & tuendarũ scholarum munus optimè respondeat, cumq; nemo bonis literis plura acceptum ferre possit: Atq; adeo satis constet,eum ordinem præcipuã semper gymnasiorum partem & olim fuisse & nunc esse,& in hoc, suo quodam iure, positum & datum esse,ut doceat: Certè par est & dignitati Episcoporum consentaneum,ut ad studia honestarum disciplinarum amore prosequenda, atq; ad ornandas omnibus modis earum officinas,ueluti signo dato,duces se alacres atq; expeditos cunctis præbeant;ne,si secus fecerint,sinant aut honoris sui gradum multorum odijs cõflagrare,aut turpi ingratitudinis nota inuri, aut probris atq; conuitijs ordinem suum proscindi, quòd muneri suo minimè respondeat.

Habes Herburthe primã partẽ operis instituti, salutem uidelicet incolumitatem,decus et orna-

mentum reipublicæ, ex doctrina atq; educatione pendere: eumq; certum esse scholarum, seu Academiarum finem. Atq; ob eam ipsam rem, totam rempublicam ac eos potissimum qui reipublicæ capita sunt, causam esse Academiæ effectricem. Nemo enim in republica reperitur ad quem nō pertineat rectæ institutionis ratio & doctrina, sed quamuis neq; pariter ad omnes ea pertinent, neq; omnes æquè possunt quod uolunt. Nemini tamen committendum est, quin pro parte quisq; uirili, aut re ipsa, aut consilio, aut scripto & uotis aliquid operæ suæ in gymnasium conferat. Vtinamq; scripto nostro hæc sit gratia, ut omnes pariter, inprimisq; regni proceres, muneris sui admonitos, ad tanti tamq; diuini operis fabricam excitaremus. Sed iam ad reliquam partem, hoc est ad exprimendam formam ipsam & tanquam faciem Gymnasij, pergamus.

SIMONIS MARICII PILSNENSIS DE SCHOLIS SEV ACAdemijs liber secundus.

DE ORIGINE SCHOLARVM

CAPVT. I.

Scholarum quemadmodum literarum disciplinarumq; originem, quarum subsidio plurimum scholæ utuntur, incertam ac uariam esse authores tradiderunt. Alij primam ipsarū originem ad Aegyptios qui primi Hieroglyphicis literis usi sunt, retulerūt: alij, ad Assyrios uel Phœnices Hinc illud Lucani

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus uocem signare figuris.

Nonnulli Aetiopes primos literarum inuentores esse putant, & ab his Aegyptios, ut uicinos acceptas tandem ad Græcos pertulisse. Magna scriptorum pars & literarum & plurimarum optimarumq; artium inuentionem uerisimili-

teria ad Hebræos referũt, cũ enim Iudæa Syriæ pars sit, uicina Phœnicibus, facilè & libenter Græcæ nationes, partim Iudæorũ odio propter falsum nomen superstitionis, partim uicinitate locorum, inuentum Hebræorum Syrijs seu Phœnicibus adscripserunt. Neq; enim antiquiora monumenta sacris Hebræorum libris per Mosen conscriptis usquam reperias, qui omniũ scriptorum barbarorum atq; Græcorum uetustissimus & Historiæ author, iure optio esse creditur. Vt planè uerisimilius, sit primos literarum doctrinarumq; inuentores Hebræos, Aegyptijs, apud quos peregrinati sunt, inuenta sua communicasse: Deinde ab ijsdem Iudæis Syrios seu Phœnicas uicinos accepisse: Phœnices Græcis, hos demum latinis propagasse. Quamobrem in hac tanta scriptorum uarietate nihil certius tradi potest, quàm Scholas cum literarum & disciplinarum studio, in oriente inchoatas, paulatim primum ad Græcos, post ad Latinos auctiores peruenisse. Nam Plato disciplinarum gratia apud Aegyptios peregrinatus est, ut à sacerdotibus barbaris numeros & cœlestia acciperet. Et Samius Pythagoras, lustrata Aegypto & Persarum magis auditis cam Italiæ oram quæ magna Græcia dicebatur honestis moribus & philosophiæ dogmatis instituit. Lacedæmonij igitur

tur & canum exemplo, Lycurgo ad uim educationis atq; institutionis ostendendam, alitorũ, admoniti, & lege adducti, qua quisquis ciuium, institutionem puerorum negligeret, iuris ciuitatis expers erat, non obscurè ad curam scholarum animum adiecerunt, ciuem moribus grauem & ætate, pueris publicè instituendis præficiendo, qui & Magistratum honorificè gessisset, & rerum gestarum gloria clarus esset, ut utilitatis gratia literas quidem doceret, reliquarum autem disciplinarum peregrinos, non minus artifices, quàm artes expelleret. Hæc autẽ Laconibus disciplina erat. Benè magistratibus parere, laborem tolerare, ac pugnando aut uincere, aut mori. Comœdias uerò & Tragœdias minimè spectabant, ut neq; seriò neq; ioco audirent, eos qui legibus contradicerent. Peregrinorum quoq; expulsionem Lycurgus inuexit, ne confluentes alicuius mali doctores ciuibus essent. Vnde Archilocum poëtam cum Spartam uenisset eadem hora expulere, quòd acceperant in carminibus eum scripsisse, melius esse abijcere arma quàm mori, quum inquit

At caruisse armis, quã mortẽ occũbere præstat
Aspide pro iacta mox melior dabitur.

Atheniensium autem ciuitas altius in eo genere progressa est. Nam & philosophiæ, & omni se

ni ferè generi doctrinarum non mediocrem honorem exhibendo, adeò philosophiæ studia auxit, ut ferè per omnem Græciam, ac postea per Italiam, eius luminis radios spargeret, nouis indies scholis studio contentionis emergentibus. Neq; enim contenti diuina illa Socratis institutione, qua, primus Ethicen è cœlo euocauit, ueteris insuper Academiæ cum principe suo Platone, & mediæ quam Arcesillas instituit, atq; nouæ cum authore suo Lacyde, nomina atq; studia coluerũt. Taceo Cyrenaicam Aristippi, Megaricam Euclidis, Cynicam Antisthenis, Epicuriq; scholas, Illud dico, Scholas Stoam & Lyceum, alteram Zenonis Stoici, alteram Aristotelis Peripatetici, plurimum honoris & nominis secundum ueterem Academiam habuisse. Quo quidem nomine Athenæ quod essent altrices doctrinarum in tanto honore habitæ sunt, ut Sylla cognomento Fœlix maximam fœlicitatem suam existimaret, quòd Athenas non euertisset, sed ciuitati pepercisset. Et amici. M. Marcelli, à P. Magio Chilone familiari suo Athenis cæsi, nonnihil se leuaturos esse putabant acerbissimum dolorem mortis eius, quòd loco sepulturæ intra ciuitatem, non impetrato à ciuibus, quòd religione prohiberentur, corpus Marcelli, in nobilissimo orbis terrarum Gymnasio Academiæ, sepelierunt

lierunt. At in ciuitatem Romanam disciplinarum genus serius inuasit, quòd Romani regnãte Romulo, sub ipso imperij initio, Marti rebusq; bellicis dediti, ad istas disciplinarum meditationes, uacabant minus, donec adsumpto Romulo, regnum Numæ, animos ciuium indomitos & assuetos armis, à bello primum ad cultum Deorum, deinde ad benè uiuendi præcepta reuocauit. Fertur enim, Numa regnante doctrinæ Pythagoricæ præcepta, ciues Romanos audiuisse. Quamuis Liuius falso idita putari existimet, quum Seruio Tullio Romæ regnante, centũ amplius post annos in ultima Italiæ ora circa Metapontum Heracleamq; & Crotonem, iuuenum æmulantium studia coetus habuisse eum constat Sed nos non admodum pugnabimus in re tam uetusta, Numæ an Tullij regnum dogmata Pythagoræ acceperit, Illud ex Cicerone certis quibusdam coniecturis satis constat. iam à prima illa uetustate, Pytagoreorum uestigia, in urbe Romana extitisse. Nam cum carminibus soliti illi esse dicantur (ait Cicero) et præcepta quædã occultius tradere, et mentes suas à cogitationũ intentione, cantu fidibusq; ad tranquillitatem traducere grauissimus author in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad

tibiam clarorum uirorum laudes atq; uirtutes.
Ex quo perspicuum est, et cantus tum fuisse re=
scriptos uocum sonis et carmina: Nec uero illud
non eruditorum temporum argumentum est,
quòd et Deorum puluinaribus, et epulis magi=
stratuum fides precinunt, quod proprium eius
fuit, de qua loquor, disciplinæ. Quam breui tem
pore, quot & quanti poetæ? qui autem orato=
res extiterunt? facilè ut appareat nostros om=
nia consequi potuisse, simul ut uelle cœpissent.
Et mox: Sapientiæ, inquit, studium uetus id qui=
dem in nostris, sed tamen ante Lælij ætatem &
Scipionis, non reperio quos appellare possim
nominatim. Quibus adolescentibus Stoicum Di=
ogenem & Academicum Carneadem, uideo ad
senatum ab Atheniensibus missos esse legatos,
qui cum reipublicæ nullam unquam partem at
tigissent, essetq; eorum alter Cyreneus, alter Ba
bilonicus, nunquam profectò scholis essent exci=
tati, neq; ad illud munus electi, nisi in quibusdã
principibus, temporibus illis fuissent studia do=
ctrinæ: qui cum cætera literis mandarent, alij
ius ciuile, alij orationes suas, alij monumenta
maiorum, hanc amplissimam omnium artium
bene uiuendi disciplinam, uita magis quam lite=
ris persecuti sunt. Itaq; illius ueræ elegantisq;
philophiæ, que ducta à Socrate, in peripateti=
cis ad=

cis adhuc permansit, & idem alio modo dicen=
tibus Stoicis cum Academici eorum controuer=
sias disceptarent, nulla ferè sunt aut pauca ad=
modum latina monumenta, siue propter magni
tudinem rerum, occupationemq; omnium: siue
etiam quod imperitis ea probari posse non ar=
bitrabantur. Hæc ferè Cicero. Addit præterea
quendam C. Amafanium extitisse, cuius libris
editis commota multitudo, contulit se ad eandẽ
potissimum disciplinam, siue quod erat cognitu
perfacilis: siue quòd inuitabatur illecebris blan=
dis uoluptatis, siue etiam quia nihil prolatum
erat melius, illud quod erat tenebant. Post Ama
fanium autem multi æmuli eiusdẽ rationis mul=
ta cum scripsissent, Italiam totam occupaue=
runt. Sic ferè habent apud Latinos (authore Ci=
cerone) doctrinarũ atq; philosophiæ initia, quæ
rudia primo exortu & pauca ad eam posthac
perfectionem quam cernimus, euaserunt, pre=
sertim cum publicè eius rei cura haberi cœpit,
atq; præceptorum delectus adhiberi. Nam po=
steaquam Crassus (quemadmodum ipse apud Ci=
cerone de se confitetur) nouos magistratus edi=
cto suo censor sustulit, cum intellexisset nihil ali
ud Romæ docere iuuentutem, nisi ut auderent,
quod etiam cum bonis rebus coniunctum per se
ipsum est magnopere fugiendum, Cum inquam
hoc unum

locunum traderetur & impudentiæ ludus esset, ne longius id serperet, putauit prouidendū non quo acui ingenia adolescentum nollet, sed contra ingenia obtundi nollet, corroborariq; impudentiam: sensim tum etiam apud Romanos cū dicendi facultate, ac iuris ciuilis peritia, quibus studijs à primo ferè urbis exordio, maxima proposita erant præmia, uel ad gratiam, uel ad opes, uel ad dignitatem, sapientiæ ac cæteris disciplinarum generibus non leuis honor ab optimis quibusq; cœpit haberi. Itaq; princeps Romanæ reipublicæ Pompeius, decedens ex Syria cum Rhodum uenisset, Posidonium grauiter ægrotantem inuisit, ut nobilem philosophum audiret, Et ante eum Crassus facultate dicendi & nobilitate præstans, cum Quæstor ex Macedonia uenisset Athenas, florente Academia, Carneadis, Clithomachi, Aeschinis, Mnesarchi, Critolai, & Diodori disputatiōib9 interesse, atq; cū illis ipsis, cùm etiam. M. Marcellus adesset, disserere honorificum putauit. Scæuola quoq; Iurisconsultus, ea quæ à Panetio acceperat, Prætor cum Apollonio Rhodi cōtulit. Antonius autē proconsul, Athenis complures dies propter nauigandi difficultatem commoratus, quotidie secum homines doctissimos habuit. Quin præstantissimi quiq; principes Romani summo philosophiæ

phiæ atq; bonarum literarum amore, philosophos domi & militiæ secum habere solebant. Vixit cum Africano Panætius, inq; legatione illa nobili, quam ante Censuram obijt, unus omnino Panætius comes Africano fuit. M. Piso adolescens Peripatetico Sasea, homine summo ingenio, domi suæ familiariter usus est, Lucullus Antiocho Stoico, Diogenem autem Stoicum, eum qui legatus Romam cum Carneade uenerat, postea & Panætium Lælius cognomento sapiens, audiuerat, atq; alios alij. At uerò parens eloquētiæ & philosophiæ Romanæ Cicero, cum plurimorum doctissimorum, tum inprimis Posidonij & Diodori Stoici familiaritate usus, quem à puero audiuit, qui cum ipso uixit multos annos, qui habitauit apud se, quem admiratus est & dilexit, in philosophiæ cæterarumq; disciplinarum exercitatione tantū studij atq; operæ posuit, ut eo duce Romani iam etiam scholas Græcorum more habere auderent, singulas penè singulis artibus atq; disciplinis assignatas. Nam ut Athenis Epicurum ludum Grammatices primum aperuisse, Laërtius author est, ita Romæ cum aliorum, tum Antonij Eniphonis Schola, in arte Grammatica claruit, quam etiam. M. Tullius post forensia negocia frequentabat. In arte uero dicendi plurimum honoris & nominis.

Ludus

155

Ludus Fabij Quintiliani habuit uel ipsius Martialis testimonio

Quintiliane uagæ moderator sume iuuentæ:
Gloria Romanæ Quintiliane togæ

Atq; facilè adducor ut credam, prisca illa ætate ante tempora Augusti, non ex authoritate publica Scholas fuisse, hoc est nondũ fuisse in eam rem iudicij publici authoritatem adhibitam, ut uidelicet & præceptores disciplinarũ uel à principe, uel ab ordine legerentur, & loca Scholis publicè assignarentur, Sed qui & uiribus ingenij confidebant, & ubertate doctrinæ cæteris antecellebant, publicè professi sunt, ac discipulos laudis suæ æmulos, in loca ea, quæ studijs ad docendum accommodatissima esse credebãt, admiratione sui cõegerunt. Nam (authore Pomponio) ante tempora Augusti publicè respondendi ius non à principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant. Primus Diuus Augustus, ut maior iuris authoritas haberetur, constituit ut ex authoritate eius responderent: et ex illo tempore peti hoc pro beneficio cæpit. Et ideo optimus princeps Adrianus (ut idem Pomponius ait) cum ab eo uiri prætorij peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit eis, hoc non peti sed præstari solere, et ideo si quis fiduciam sui haberet, dele-

delectari se, populo ad respondẽdum se præpararet. Vnde palam est Augusti primum authoritate, deinde cæterorum imperatorum solitum esse de iure responderi: Donec Iustinianus princeps qui primus immensam illam ac penè infinitam uim legum, in compendium artis redegit, quod Ciceroni optare tantum non etiam perficere datum fuit, non modo de iure publicè respõderi, sed & legum præceptores, & loca gymnasiorum ex authoritate principis ac ordinum esse uoluerat. In proœmio namq; Pandectarum, & rationem atq; modum docẽdi præceptoribus legum, & quinquennium ius discendi adolescentibus præscripsit. Atq; authoritate edicti sui uetuit, ne, perterquàm in regijs urbibus Romæ, Constantinopoli, & Beryti, legum uolumina interpretarentur, ne uidelicet homines imperiti diuagari & doctrinam discipulis adulterinam tradere auderent, Et qui hoc ausint perpetrare, denarum librarum auri pœna plectuntur, & reijciuntur ab ea ciuitate, in qua non leges docent, sed in leges committunt. Cuius quidem Iustiniani edicti, iurisq; professionis exemplo, in uarijs locis, cæterarum etiam disciplinarum, uelutisacræ & prophanæ philosophiæ, medicinæ, artis dicẽdi, mathematices, & aliarũ eiusdẽ generis artium tum præceptores tum gymnasia cœpta sunt

pta sunt, authoritate imperatoria atq; Pontificia instituti. Neq; eni paru momēti atq; emolumēti ea in re, uel ad iuuandam rempublicā, uel ad benē merendum de genere mortalium, reges & principes existimarunt esse. Quin iuuentutem publicē honestis literis exercitam, & ad frugē bonæ indolis progressuram, & usui reipublicæ Christianæ in pace ac bello fore. Propterea omnem suam industriam atq; operam in erigendis, ornandis atq; instruendis gymnasijs posuerunt, opesq; immensas in eiusmodi opera effuderunt, quò parta tandem pace suis ciuibus, etiam ingenia adolescentum excolerentur, & commodius in officio non inuiti continerentur. Perinde atq; non satis est in lucem à parentibus procreari atq; edi, nisi culturam educationis teneræ ætati admoueant: ita diuini imperatores atq; reges, non satis, neq; ad honoris sui augmentum neq; ad nomen ueri patris patriæ esse putabant, in libertatem suos ex seruitute uendicasse, nisi exercitationum limam in liberalibus studijs, undiq; per occasionem, animis iuuenum adhiberent. Iure id quidem illi optimo. Nam imperatoriū ac regiū uerè opus est, & arma bellica fœlici manu tractare, & liberales disciplinas complecti ac fouere. Vt enim interim Scholas Italicas honestissimas ac frequentissimas, cum suis regibus hoc

hoc est authoribus prætercam, quòd minimè mirum ac nouum esse debeat. Musas tanquam indigenas in solo natalicio, domicilium ibi gratasq; sedes fixisse. Potissimumq; Bononiæ atq; Patauij, quorum locorum altero, uetus gymnasium nomine & institutione præstans, anno salutis penè quadringentesimo uigesimo cœptū, præmijs & honoribus à Theodosio iuniore (ut fertur) auctum atq; ornatum ad nostram usq; ætatem durat. Alterum industria Senatus Veneti in dies magis magisq; floret, & singulari eruditione præceptorū, in facultate iuris ac medica, & iuuentutis frequentia, ut inquam Italicarum celebritatem scholarum prætercam: Tanto certè literarum ac philosophiæ studio, reges atq; proceres penè cuncti flagrarunt, tanto suos iuuandi desyderio, ut, uel in extremam usq; barbariē, munus Scholarum transtulerint. Carolum sanè illum cognomento Magnum, belli & pacis studio penè parem, bonarum etiam artium studia, indulgentius fouisse, ac impensius amauisse, uel duo illa Gymnasia, Parisiense ac Ticiense, testes sunt. Nam duobus uiris eximiæ eruditionis, professionis monasticæ, Claudio Clemente, & Alcuino Albino ex Britannia sibi oblatis, alterum Parisijs in Gallia transalpina, alterum Ticini seu Papiæ in cisalpina, in gymnasijs à se nouiter in-

stitutis, collocauit. In Anglia item Alfredus rex apud Oxoniam, à sexingentis quadraginta duobus annis, instructo gymnasio & se summo honore extulit, & regnum suum commodo non mediocri auxit. Albertus deinde dux Austriæ, Viennam honestissimam urbem Austriæ, longè honestiorem publico studio anno ferè salutis Millesimo trecentesimo, sexagesimo, tertio effecit. Germania uerò adeò gymnasiorum celebri frequentia, iam à multo tempore usq; hactenus excolitur ac splendescit, ut uix ullam ciuitatē primariam reperias, quæ sibi gymnasium suum nō summi honoris loco atq; ornamenti esse ducat. Neq; Sarmatia etiam nostra huius nominis gloria usq; adeo caret. Nam regem suum Vladislaum Iagelonem proauum tuum SIGISMVNDE rex optimum ac sanctissimum principem, nō solū felici nominis gloria celebrat: penè in cœlū laudibus fert hoc nomine multo magis, quòd hostibus ultro citroq; domitis, cùm Pragense gymnasium acerbo quodam fato iam senescere uideret, cogitauit ut regno suo, multorum hostium uictorijs ac trophæis clarissimo, hoc etiam studiorum ornamentum accederet. Quare gymnasium à Casimiro secundo Casimiriæ prius cogitatum potius quàm cœptum, ipse fœlicibus auspicijs Anno salutis Millesimo quadringē-

te simo

tesimo Cracouiæ poni iussit, authoritate Bonifacij noni Pontificis Romani. Quod sanè gymnasium, à primo statim sui exordio munificentia regum Poloniæ liberalitateq; adauctum, adeo cum in omni ferè doctrinarum genere, tum in Mathematicis disciplinis creuit atq; floruit, ut plurimis aliarum gentium gymnasijs superius, paucis par, sine ulla controuersia uideretur, uel tacito peregrinorum iudicio, qui eo frequentes ad mercaturam bonarum literarum confluebant. Nunc nescio quo fatali malo imò procerum potius regni nostri socordia, qui nihil aut sua aut reipublicæ interesse florē gymnasiorum existimant, indies magis turpiter conuellitur ac labascit. Et ni tua SIGISMVNDE rex Auguste auxiliaris manus, nutanti iam & mox lapsuro, accedat, cautio est ne gymnasiū, quod nūc paruū ac debile habemus, nullum postea habeamus. Ne id etiam ab imperij tui maiestate alienum esse putato. Nam si proauus tuus Vladislaus Iagelo prudentissimus atq; sanctissimus princeps, familiæ stirpisq; tuæ primus author, maximam se accessionem & nomini & regno suo fecisse existimauit, quòd scholas publicas excitasset, tu rex SIGISMVNDE profectò, si, quod proauus tuus excitauit, extingui patiare, ingentem te calamitatem iuuentuti Polo-

 ne al-

næ allaturum, ac nomini tuo & regni maiestati splendoriq; summum honorem detracturum putato: Sin, tecum inita ratione, hoc tam splendidum opus restaurare conaberis, non inferiorem gloriam laudemq; ex eo reportabis, quàm proauus tuus Iagelo excitando, auus atq; pater ornando meruerunt. Nec enim maior uirtus est parare quàm parta tueri. Imo qui subtiliter factum emendat (ut ait optimus princeps Iustinianus) laudabilior est eo qui primus inuenit. Alioqui ueremur SIGISMVNDE rex si adeo deinceps studiorum amorem contemni patiare, publica ista institutione abolita, gymnasioq; deleto, ne in illã rursus Sarmaticam feritatẽ ac Scythicos mores redeamꝰ atq; relabãur. Nos quantũ exile ingeniolũ nostrũ patietur rudẽ formam operis pulcherrimi extruendi ob oculos ponemus, Vt hac nostra ueluti idea admonitꝰ, perfectiorẽ longeq; absolutiorẽ linearũ atq; colorũ rationẽ à tuo senatu prudẽtissimo sapientissimoq; petas, non deerit ille, crede mihi, pro suo in rempublicam & officio & amore, modo te rex Auguste accinctum esse atq; in opus incumbentem perspexerit. Sed de origine scholarũ forte plus satis. Nunc ad reliqua transeamus.

Quid sint

QVID SINT SCHOLAE ET QVOT EARVM species

CAPVT. II.

Scholarum seu ludorum species, tot ferè sũt quot genera exercitationum. Nam alij Athletici alij gladiatorij nominantur. quòdin his armati ad scelus perpetrandum ac hominem occidendum crudeliter, in illis nudi ac perũcti ad oblectationem atq; uirium periculum exercẽtur. De quibꝰ poëta Latinꝰ cecinit his uersibꝰ

Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socij. : Et alibi.
Pars in gramineis exercent membra palæstris
Contendunt ludo, et fulua luctantur arena.
Pars pedibꝰ plaudũt choreas et carmĩa dicũt.

Alij militares, ubi miles ex Romanorum uetere disciplina, ad palum aut scutum, ad gradum militarem, ad cursum atq; saltum se exercet. De hoc genere scholarum abundè satis multa Flauius Vegetius, quatuor libris, et prior eo Iulius Frontinus totidem libris: Cornelius deniq; Celsus: Et his omnibus superior Cato Censorius conscripserunt. Et plurima quoq; com-

L 3 plexus

plexus est imperator Iustinianus libro Codicis duodecimo: Titulis, De comitibus & tribunis Scholarum, De agentibus in rebus, Deq; priuilegijs Scholarum: Atq; idem poëta latinus scitè meminit in persona Aeneæ Troiani

Præterea, si nona diem imortalibus almum
Aurora extulerit, radijsq; retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis,
Quiq; pedū cursu ualet, & qui uiribus audax
Aut iaculo incedit melior, leuibusq; sagittis
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu,
Cūcti adsit meritæq; expectēt præmia palmæ.

Aliæ item Scholæ sunt, in quibus iuuenes non ad agilitatem corporis, non ad cædem ac effundendum sanguinem, non ad palum, cursum, atq; saltum, sed ad liberales disciplinas, sacram & prophanam philosophiam, ad medicinam iusq; & pontificium & ciuile, ad cæterasq; eius generis disciplinas, exercentur: ac literariæ nominantur Musis atq; Mineruæ dicatæ, ut quidam cecinit

Hæc domꝰ est Musis sacræq; dicata Mineruæ
Numinibus tantis improba cede Venus

De his in præsenti nobis sermo est. Schola igitur græco nomine ἀπὸ τοῦ σχολάζειν dicta, quod uacare est, seu ociari, nō turpi isto ocio indigno homine libero, atq; uerecundo, nec uacatione omni, sed qua rebus cæteris obmissis externisq;

nisq; curis soluti, liberalibus disciplinis uacamus ac studemus: sic ferè describitur. Est locus in quo literarum gratia ab externis negocijs & curis ociamur seu uacamus, quale fuit Athenis Lyceum Aristotelis schola, Platonis Academia, Stoa Zenonis. Vt enim in illis iuuenes & philosophis uacabant & literis: sic in hisce nostris scholis, haud phas est quiduis agere aliud, quàm bonarum artium studia totis uiribus persequi, illisq; perdiscendis uacare. Non desunt tamen qui scholas ab ocio κατ᾽ ἀντίφρασιν dictas putent quòd nihil minus in eis quàm ludamus, unde etiam ludi appellantur, in quibus non luditur, auspiciorum & sacrorum more seruato, in quibus nihil quicquam quod uel ominosum uel triste esset, licuit nominare: Neq; enim occidere dicebant sed mactare: Aut quòd (authore Platone & post eum Fabio Quintiliano) pueri tanquam ludentes in scholis erudiendi sunt, Cùm non deceat hominem liberum cum seruitute disciplinam aliquam ediscere. Hæc ferè scholarū descriptio traditur ac etymon. Scholarum autem quæ liberales ac literariæ uocantur, tres sunt diferentiæ. Nam aut sunt priuatæ, aut municipales, aut publicæ.

L

165

DE SCHO-
LIS PRIVATIS ET CIVILIBVS
CAPVT. III.

PRiuatæ scholæ domibus & parietibus priuatis continentur. Nam paterfamilias, liberis suis præficiens pædagogum, priuatas scholas instituit. Quas quidem ego ut nō reijcio, qđ hæc ætas custode pudoris sui admodum indigeat, sic non omnino probo, quòd uideam maximū in ea re parentum errorem per negligentiam committi. Quare ut scholæ eiusmodi probentur tria requiri uidemus. Primum ut sit puero moribus honestis pædagogus, obscænitas atq; lasciuia uerborum submoueatur, procul sint exempla domestica quæ possint primam istam ætatē facilè deprauare. Vera namq; est Fabij sententia potiorem uideri rationem uiuendi honestè quàm uel optimè discendi, in ea præsertim ætate, quæ & facilè capit omnia, & quæ semel acceperit diutissimè retinet. Deinde ut ne rudem prorsusq; à bonis literis abhorrētem, sed liberaliter eruditum puero pædagogum præficias. Quî enim fieri potest ut is quenquam rectè in-

stituat

stituat qui sit ipse ineruditus? Optimū illud est Fabij quo admonet, præceptore optimo à primis statim annis utendum esse. Nam authore summo poëta

In teneris asuescere multum est.

Si enim mollem pueri animum ac tenerum turpibus imbuas, tum magna in eluendis uitijs difficultas quæ semel insederint consequetur, cum geminatum onus succedentes premat. Et quidē dedocendi grauius ac prius quàm docendi. Propterea q; Timotheum clarum in arte tibiarum ferunt duplices ab his quos alius instituisset solitum exigere mercedes, quàm si rudes traderētur. Adde quòd quo quisq; doctior est, hoc facilius instituit, quo deterior obscurius. Cum quo quisq; ingēio minꝰ ualet, hoc se magis attolere & dilatare cōatur, ut statura breues, in digitos eriguntur & plura infirmi minantur. Itaq; nō solum ut optimis & statim, sed etiam ut facilius tenella ætas imbuatur, pædagogis uel ad mediocritatem eruditis, si aliter fieri nequeat, præficiendis, prospiciendum erit. Tertio, ne in eiusmodi scholis quæ sunt intra priuatos parietes diu ac multum puer hæreat. Curæ sit parentibus puerum ex tenebris in lucem, ex solitudine umbratili in honestos conuentus, ex priuata & domestica palæstra in arenam publicam, extre-

ma infantia,seu prima pubertate iam aduenien te,hoc est in decem annis,educere. Quanquam in ea re non id est æstimandum cuius quisq; sit ætatis,sed quantum in primis studijs iam profecerit. Nolim puerile ingenium,in quo spes certa elucet atq; emicat,intra priuatos parietes teneri diutius. Primum ne turpem de se persuasionem,dum neminem habet cui se comparet,induendo magnos profectus perdat. Deinde, ut, cui in maxima celebritate atq; in media republica uiuendum est,assuescat iam à tenero nō reformidare homines, neq; illa solitaria & uelut umbratili uita pallescere. Postremo ne desit feruenti animo æmulationis facultas,ingens calcar ad literas,ut uidelicet pulchrum putet superare maiores, paribus non cedere.

Altera species Scholarum ea est quam ciuilem seu municipalem dicimus, uel quòd aliud nomen deest, uel quòd ne hoc quidem nomen ineptum esse ducimus,sumpta similitudine à legibꝰ. Quēadmodum enim ipse leges ciuiles seu municipales appellantur,quas sibi quæq; ciuitas,ut Athenæ,Lacedæmon ,Roma,aut municipium ut Fidenæ,Arpinum & Fessulæ, constituit, ita Scholæ quas sibi singulæ ciuitates, singulaq; municipia,iuuentutis instituendæ,atq; ordinandæ religionis gratia authoritate sui sacerdotis & de-

curionum

curionum uel Senatus instituunt, iure quodam optimo,idem sibi nomē,quod & ipse leges,quæ ferè eodem modo fiunt, uendicant. Hoc igitur genus Scholarum in Germania olim,nunc in Polonia frequens,in Italia prorsus neglectum, authoritatis publicæ atq; supremæ illius quam Pōtificiam uocamus expers non est,sed ex authoritate sacrorum Canonum robur habet. Nam quid sibi aliud uult quòd in Lateranensi primū concilio,cui Innocentius tertius præfuit,cautū est, deinde Alexandri & Honorij tertij decretis repetitum? quàm scholas eiusmodi aut iam ante cœptas restitui,confirmari,aut cumulari honestiore præmio,aut nunquam antea usitatas, nunc demum ac primum institui. Innocentij tertij in concilio Lateranensi uerba hæc sunt. Quia nonnullis propter inopiam & legendi studium oportunitas proficiendi subtrahitur,in Lateranensi concilio pia fuit institutione prouisum,ut per unamquamq; cathedralem ecclesiam, magistro, qui clericos eiusdem ecclesiæ aliosq; scholares pauperes gratis instrueret,aliquod cōpetens beneficium præberetur, quò & docentis releuaretur necessitas,& uia pateret discentibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis ecclesijs id minimè obseruatur,nos prædictum roborantes statutum, adijcimus,ut non solum in

quoli-

qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in alijs,
quarum sufficere poterunt facultates, constitu-
atur magister idoneus, à prælato cum capitulo,
seu maiori ac saniori parte capituli eligendus:
qui clericos ecclesiarum ipsarum & aliarũ gra
tis in Grammaticæ facultate ac alijs instruat
iuxta posse. Sanè metropolitana ecclesia theo-
logum nihilominus habeat, qui sacerdotes &
alios in sacra pagina doceat, & in his præser-
tim informet, quæ ad curam animarum specta-
re noscuntur. Assignetur autem cuilibet Ma-
gistrorum à capitulo unius præbendæ prouen-
tus, & à metropolitano tantundem, non quòd
per hoc efficiatur Canonicus, sed tandiu reditus
ipsos percipiat, quandiu perstiterit in docendo.
Quod si forte duobus metropolitana ecclesia
grauatur. theologo iuxta modum prædictum
ipsa prouideat, grammatico uerò in alia ecclæ-
sia suæ ciuitatis siue diœcesis, quod sufficere ua-
leat, faciat prouideri. Quid potuit dici apertiꝰ
quàm quod ab Innocentio dictum est, de scholis
ciuilibus, deq; eorum præmio ac honore? Mer-
cede honesta & facultate census, præceptori-
bus theologis, atq; grammaticis, non malè pro-
spectum esset, si modo sint, qui sacrorum cano-
num constitutiones cum bona fide exequantur.
Existimo autẽ nostros maiores uiros prudentiæ

& sancti-

& sanctitate spectata, eiusmodi scholis institu-
endis duo consyderasse: alterum ut à primis an-
nis pueri religione & pietate imbuerentur, ac
primam rationem gratiæ Dei, regniq; ipsius in-
quirendi ex decreto euangelico paulatim cum
ætate habere consuescerent: propterea scholas
huiusmodi sacratis templis admouerunt, & cœ-
tus discentium certis hymnorum ac sacrorum
generibus canendis obstrinxerunt. Alterum ue-
rò, ne deessent qui bonis literis atq; artibus iux-
ta atq; bonis moribus iuuentutem instituerent,
Propterea duos scholis præesse uoluerunt, spe-
ctata probitate atq; eruditione uiros, nõ ut nũc
plerosq; bibones ac heluones (pace ipsorum di-
cam) somno uentriq; deditos uitio magistratus,
qui non eos præficiunt qui possint docere & ue
lint, sed quos exigua mercede conducunt, quo-
rum alteri Magistro, alteri uero Cantori nomẽ
imposuerunt, utrumq; ex re atq; officio mutua-
tum. Nam magistri officium est cunctis pueris,
& præceptis benè ac honestè uiuendi, & rectè
loquendi latinè, præire, ac ducem se præbere,
cum in omni genere artium initijs quibusdam
degustandis, ut puer tinctus esse quodammodo
singulis uideatur, tum in Grammaticæ, Diale-
cticæ, atq; Rhetoricæ præceptis ad unguem pe
nè ediscendis. Nam ex scholis ciuilibus in publi

cis pue-

eos pueros, si non singularum penè artium ingenuarum præceptis quasi designatos, certè tribus his quæ rationales ac logicæ uulgò triuialesuocantur, instructos examussim, præceptores ac magistri mittant oportet, si se id, quod esse debent, dici uelint. Cantoris autem munus illud inprimis esse putatur, ut ne pueri in his quæ ad artem musicam ac facultatem canendi pertineant, rudes omninò uideantur. Confert ea res plurimum, & ad poëticen facilius percipiendam, & ad omnes grammaticæ partes commodius perdiscendas, & ad honorem psalmis & hymnis cæterisq; huiusmodi canticis pro apostolorum atq; sanctorũ præsbyterorum more, tanquam aliquod debitum pẽsum Christo Deo exoluendum. Quorum quidẽ utriq; honesta mercede ac censu merito prospectum esset, ni quidam (pace eorum dixerim) munere utriusq; nominis seposito, cum summa rei, & iuuentutis christianæ iniuria & iactura, in solos titulos atq; census inuolassent. Scholasticos & cantores se compellari summi honoris loco ducunt, censusq; amplissimos & libenter & non grauatim tollunt, atq; adeo exigunt hoc nomine: munus autem docendi & canendi in alios perrarò frugi homines atq; dignos tanto munere, aut nullo sanè, aut per quàm exiguo precio reijciunt. O deprauatissimos hominum mores

mores, ô tempora. Quis non iniquo ferat animo? Cui non moueant stomachum ista tam præpostera hominum iudicia? Eos, qui dies noctesq; in studio bonarum literarum, in laboribus & uigilijs, in excolenda adolescentum indole perseuerant, omni honore ac præmio spoliari & nudari. Illos uerò qui bonæ fortunæ placidos flatus malè ferentes, in pauperum eleemosynis luxuriantur, in stupra erumpunt atq; cædes, honore summo affici, gratulatione excipi, O cælũ ô terra ô maria Neptuni. Sed ad institutũ redeamus, ne maleuolentia, ac non potius quòd res ipsa isthuc nobis doleat, rem nostro sæculo adeo usitatam, persequi atq; exagitare uideamur. Publicæ igitur scholæ sunt, que nunc gymnasia literarum, nunc Academiæ, uulgò ambicioso nõ nihil nomine, atq; nouo uniuersitates uocantur: quarum quænam sit origo dictum est paulo superius, quales autem esse oporteat, dicemus posterius, si modo prius pauca quædam de scholis ciuilibus amplius disseramus.

SCHOLAS MVNICIPALES, QVAE GYMNASIORVM VELVTI ADministræ ac præparationes sunt, Quales esse

esse oporteat & quatenus in literis progredi

CAPVT IIII.

Equidem ab initio non mediocriter mirari solebam, nostrorum temporum oscitantē sapientiam, ac præpostera iudicia, in iuuentute educanda. Idq; eo magis quòd uiderem, omnes ferè ordines atq; status nescio quam nimiam solertiam atq; diligentiam induisse, ingeniaq; hominum nostrorum atq; industriam multo plus quā usquam alias creuisse, partim ad ciuitates edificijs exornandas, uim auri cumulandam, remq; familiaris augendæ solertiam, uestium deniq; uarietatem in utroq; sexu, atq; luxum: partim ad humanitatem moresq; longè quàm antea cultiores. Vt si ueterem illam Poloniam cum isthac noua, si homines nostri sæculi, cum prisca illa ætate compares, rudem illam barbariem & incultam cum uita ciuilissima contulisse iure optimo uideare: Sed cum paulatim mecum ineo rationem, & mirari desino, & causam tanti mali ex illis ipsis reb9, quas ob oculos cernere est, inuenisse mihi uideor. Nec enim obscurè uidemus omne ferè hominum genus, ac potissimum qui in aliquo loco sunt & honore, quosq; duces reliquum uulgus moribus & studijs sequi solet, omnem conatum atq; industriam, omnem deniq; operam, ad priuati studium curamq; corporis, ab animorum mentiumq; studijs & cultura trās tulisse: Omnes & animo & corpore in hoc incūbimus, ut honoribus per phas nephasq; quæsitis atq; diuitiarum nimio luxu splendeamus, ut uerò mentis uiribus præstemus, atq; ut liberos nostros moribus & disciplinis excolamus, nihil minus nobis curæ est. Ex quo etiam fonte illud erumpit, scholas uidelicet municipales, educationis riuulos, superioribus quidem temporibus frequentes & honestas (ut rudis illa ac multa barbarie infecta tulit ætas) mirum in modum nunc negligi. Quid ita? quia cogitationes nostras atq; curas ab animo ad corpus adeo traduxim9, ut hoc honore amplissimo, illum contumelia probrisq; afficiamus. Neq; uerò fieri potest ut uirtutum literarumq; studia in precio sint apud eos, qui totius institutionis, quæ animorum pabulum est, expertes, uitam omnem à primis annis, sine scholis atq; præceptoribus in ocio licenter exegerunt. Quamobrem pro summo erga iuuenes studio & amore, quo impulsus hoc munus scribendi mihi adsumpsi, proq; obseruantia in patriam, omnes quorum interest, Scholasticos, Parœcos, atq; Decuriones, hortor diligenter

M & mone

& moneo, ne etiam scholas municipales, opti-
mam partem ciuitatis, ac summe necessariam,
neglectas sinant iacere. Namq; eo modo & le-
ctissima semina futuræ reipublicæ sufficient, ani
mos pueriles literis ac moribus honestis exco-
lẽdo, & ad scholas publicas seu Academias, par
tim ornandas progressu literarum, partim au-
gendas, & apto atq; honesto numero auditorũ,
& commoditate non mediocri ad profectum, in
gens momentum adijcient. Nam sicut in artib9
istis sordidioribus, quæ mechanicæ uocantur, &
illis liberalibus usu uenit, ut aliæ ad aliarum fi-
nem relatæ, sub unam aliquam cadant faculta-
tem, inferioresq; superioribus, quæ architectoni
cæ philosophis nominantur administræ sint, si-
cut frenorum effectrix ars, sub equestrem ca-
dit, & eadem rursus sub militarem: Physiologia
item medicinæ, arithmetica mathematicæ suffra
gatur: ita scholæ municipales, gymnasiorũ præ
parationes quædam sunt ac ministræ. Vt planè
frustra Academias ornaueris, si scholæ munici-
pales ueluti administræ gymnasiorum, negligan
tur. Et quemadmodum pueri non ante durio-
ribus cibis, absq; ualetudinis periculo, nutriri in
cipiunt, quàm lacte ac mollioribus cibis assueti,
in adultam ætatem peruenerit, ita pueri in scho
lis ciuilibus primordijs literarum bene imbuti,
iactoq;

iactoq; stabili fundamento, ad cibos tum demum
grauiores, philosophiæ, medicinæ, facultatisq; di
cendi, iuris atq; theologiæ, cæterarumq; eius ge
neris professionum aptiores fiunt, citiusq; ad bo
nam frugem & ad summum studiorum suorum
perducuntur atq; deueniunt. Alioqui quicumq;
sine primarum artium perceptione ad altiora
gymnasiorum studia, illotis (quod aiunt) pedi-
bus temerè accelerant & irrumpunt, perinde
facere mihi uidentur, atq; si se Labyrintho in-
extricabili, absq; ductu fili committant, unde
aut nunquam, aut admodum serò, nec sine nego-
cio atq; labore reuertantur ac euadant. Proin-
de ne eam quoq; partem à nobis desyderent, mu
nicipales scholas quales esse oporteat, breuiter
perstringem9. Sed quia bonitas huiusmodi scho
larum, in præceptorum præstantia & discipulo
rum affectione consistit, discipulorumq; affe-
ctio seu dispositio in suos præceptores ex ipso-
rummet præceptorum authoritate atq; erudi-
tione propendet: propterea rudem atq; infor-
mem ideam seu typum, & præceptoris boni &
discipuli bene instituti, ex Fabio proponemus. In
re quidem optimo illud nostro sæculo usitatum
probari potuisset, in dijudicandis præceptoribus
ac magistris, publicum testimonium atq; autho-
ritatem collegiorum adhiberi, ut uidelicet insi-

gni

gni laureæ, uelut hædera suspensa, admoniti, nunquam cæco errore in eruditione cognoscendæ oberremus, nisi & hic fides testimonij publici ad modum requiratur ac plerunq; non sine probro uacillet, quibusuis passim sine ullo delectu, nescio an spe lucri, in ordinem eruditorum adsumendis, ut aliud exactius iam in ea re iudicium, quàm publicum testimonium requiratur. Itaq; q praeceptores scholis præficiendos quærunt, his ferè, tanquam statuis Mercurialibus, niti debēt. Primum in uitam hominis atq; mores inquirant, ne scilicet uel libidinis mollibus exemplis, uel ebrietatis ac commessationis uitijs primam ac mollem ætatem inficiat. Mirum enim quā sæpius in deteriorem partem talibus exēplis præceptorum discipuli moueantur. Et nescio quomodo conspectiora magis sunt, si in illis ipsis qui nobis præsunt, quàm si in alijs cernantur. Leonides Alexandri pædagogus quibusdam eum uitijs imbuit: quæ robustum quoq; & iam maximum regem ab illa institutione pucrili sūt persecuta. Etenim natura tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus, ut sapor, quo noua imbuas, durat, Nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possūt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona facilè mutantur in peius, nunc

nunc quando in bonum uerteris uitia? Tum is præceptor scholis præficiendus, quibus præceptoribus, quibus deniq; scholis & ipse usus fuerit, sedulò inuestigandum est. Neq; enim parum interest ad opinionem eruditionis morumq; probitatem, & loci & præceptoris authoritas. Deinde ne contentus eo sis tuæ tibi scholæ, & honestis moribus magistrum, & eruditione non uulgari præfici: Oportet prætereà pueris familiariter amicum esse, nec officiū in docendo spectare. Sumat igitur ante omnia præceptor is tuus parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorundem locum, à quibus sibi liberi tradantur, existimet. Ipse, nec habeat uitia, nec ferat: non austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sermo sit, Nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit: Minimè iracundus, nec tamen eorum quæ emendanda erunt dissimulator. Simplex in docendo, patiens laboris, Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus, nec malignus, nec effusus, quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. In emendando quæ corrigenda erunt non acerbus minimeq; contumeliosus. Nam id quidem multos à proposito

posito studendi fugat, quòd quidam sic obiurgat quasi oderint. Ipse aliquid, imo multa quotidie dicat, quæ secum audita referant. Licet enim satis exemplorũ ad imitandũ ex lectiõe suppeditet tamẽ uiua illa ut dicitur uox alit plenius, præcipueq; eius præceptoris, quem discipuli (si modo rectè sunt instituti) & amant, & uerentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus fauemus. Hæc ferè præceptorum formula ex Fabio, quam si magistratus sequantur, in præceptoribus & legendis & adsumendis, haud facilè oberrabunt. Vt uerò discipulis frugi & benè moratis utamur, & si in natura ipsa & prima parentum atq; pædagogorum institutione multum, non minus tamen & in nobis ipsis positum est. Si enim eum se gesserit præceptor, ut non modo uacet crimine, sed etiam criminis suspicione, si deniq; omnem cursum studiorum suorum eò ducat ac dirigat, ut oblitus commodorum suorum, omnia ad profectum puerorum facere uideatur, facilè omnium animos in admirationem & amorem sui pelliciet. Maximè autem si expeditam quandam ac iustam rationem, in disciplinis tradendis & iuuentute docenda obseruabit, ac usum ijs ipsis rebus quæ ediscendas proponit, adiunget. Ita enim uoluntates discentium exacuet & facilita-

te docendi

te docendi, & certo fine perspecto atq; usu. Nam ea quæ nullo ordine & incerto usu traduntur, animus puerilis sæpenumero & reformidat, & respuit. Illud autem quod Fabius scriptum reliquit, sæpe discipulis inculcet, ut præceptores suos non minus quàm ipsa studia amet, & parentes esse non quidem corporum sed mẽtium credant. Multum hæc pietas confert studio. Nam & libenter audient, & dictis credent, & esse similes concupiscent. In ipsos deniq; cœtus scholarum, læti & alacres conuenient. Emendati non irascentur, laudati gaudebũt ut sint charissimi studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum præbere se dociles. Alioqui neutrum sine altero sufficit. Et sicut hominis ortus ex utroq; gignentium confertur, & frustra sparseris semina, nisi illa præmollitus fouerit sulcus, ita doctrina coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisq; concordia. Nemo puerorum adeo ferreus atq; adamantinus erit, quem ista Fabij uerba nõ moueant: quin promptè atq; libenter præceptori suo parebunt: ac induent affectum filiorum. Posteaquam autem sic sedulò admonendo, animos discipulorum ad promptè parendum præceptor formauerit tum ita se comparet necesse est: ne uel minima, docendo prætermittat, quibus ne-

glectis ne maioribus quidem locus esset. Nam sunt adeo quidam Demeæ, qui de honore atq; authoritate sua aliquid detractum iri putant, si uel ad ea infima, sine quibus ad maiora nequaquam peruenitur, se demittunt. Cum(authore eodem Fabio)æquè non erit totum,cui uel parua deerunt. Atq; discentium etiam ingenia non minore negotio dispiciat. Quemadmodum enim

Nec uerò terræ ferre omnes omnia possunt, Ita tanta est discentium uarietas,& diuersa ingeniorum natura, ut non omnia iisdem studijs conueniant,sed alia alijs aptiora, accomodatioraq; sint. Iam uerò ubi & hoc præceptor assequetur, tum demum ad ingenia discipulorum excolenda, quorum naturas iam & facultates cognouit, pro captu cuiusq; accedat. Ac inprimis septem liberalibus disciplinis pueros instituti operepretium esse duco, At ita,ut triũ, quæ & primum locum sortitæ sunt,& rationales uocantur,præcepta examussim ediscant. Nam sicut nihil nocuerit ex Grammatica (authore Fabio)nisi quod superuacuum est,ita & de Dialectica atq; Rhetorica conuenit & iudicari & sẽtire,non obstant hæ disciplinæ per illas euntib9, sed circa illas hærentibus. Reliquæ autem quatuor ita commodè pertractentur ut ne omnino rudes,sed his etiam tincti quodammodo iuuenes

uideantur. Nam eo modo aditum sibi faciliorem ad omnis generis scriptores percipiendos,ac grauiora studia atq; disciplinas intelligendas aperient. Moris fuit hactenus in scholis disticha Catonis moralia,pueris ediscẽda proponere, quod ne ego quidem improbo:Nam ad honestè uiuendum,ac mores addiscendos & breuitate & uenustate sua animos pueriles pelliciunt. Ac nescio an non præceptores id quoq; consultè facere uideantur, si Catoni Latino, aut carmina Pythagoræ aurea:aut Phocylidis uersus, idq; Græcè adiungant: tum propter similitudinem argumenti morumq; compendium,tum ut,sicut Catonis uersibus Latinis, ad Vergilium Latinum poëtam,sic etiam ad Græcum Homerum,Græcis Pytha gora aut Phocylide, pueri præparentur Ne ad Maronem atq; Homerum illotis pedib9 quod aiunt,accedentes,protinus desperationem præsumant,& Latino sermone & Græco penitus destituti. Tum demum optarim,ut Aratum à Ioue Phænomena, Maronem ab eodem Ioue principium Musæ,sic Magistros scholas suas ab Homeri atq; Maronis uersu auspicari, eorumq; uersus pueros memoriter addiscere,ut olim Romanorum iuuenes leges duodecim tabularum memoriæ mandabant. Legenda sunt & quædã Horatij,quòd & præceptis philosophicis refer-

ta sunt, & propter uersuum numeros facilius
memoria continentur. Nolim & Comœdias Te-
rentianas prætermitti ob leporem ac eleganti-
am sermonis, cum & ipse Cicero parens eloquē
tiæ Romanæ, libenter Terentiano uerbo utatur,
Ita tamen ut à sapientibus atq; honestis præce-
ptoribus, sapienter & castè, pijs auribus, sine
offensione tradantur. Admoneat præceptor, co
mœdiam speculum uitæ esse, non omnia ad imi-
tandum, plæraq; ut euitentur proponere. Velu-
ti cum uultus speciem in speculo contemplaris,
non sæpe probas quæ uides, sæpius emendas o-
ris uitia & sordes atq; squallorem detergis.
His accedat nonnulla Ciceronis, præserti De of
ficijs, De amicitia, De senectute, Epistolæ: Cæte-
ra ad scholas publicas, inq; ætatis progressum
seruentur, quòd ingenia robustiora requirunt.
Ne historiam quidem scholis municipalibus ex-
cludo, atq; Liuium, potissimum pueris adultio-
ribus, familiariorem uelim esse, partim propter
dicendi facultatem, illosq; spiritus orationis, par
tim copiam exemplorum, atq; cognitionem hi-
storiæ Romanæ, sine qua bonorum authorum le
ctio cæca est atq; surda. Elegantias item Lau-
rentij Vallæ habeat in manibus, ut syncerè iudi-
cet de linguæ latinæ proprietate & puritate.
Legant etiam Aulum Gellium, atq; eius simiam
Ma-

Macrobium. Cōferunt uarietate lectionis & ad
scriptores intelligendos, & multam rerum co-
gnitionem. Non ommittant Fabium Quintilia-
num, quòd de authoribus Græcis & Latinis re-
ctè iudicat & præscribit docendi iuxta atq; di-
scendi rationem, rhetorumq; præcepta atq; usū
diuinè complectitur. Breuiter, his sanè cancellis
atq; septis scholas municipales, conuentus pue-
rorum honestissimos, uelimus contineri et circū-
scribi, ne ullum scriptorum genus, Grammatico-
rum, poëtarum, atq; historicorum, modo huic æ-
tati et argumenti dulcedine & facilitate con-
ueniant, intentatum prætermittāt. Nec enim dis-
similes mihi uidentur, tres illæ scholarum diffe-
rentiæ, quarum superius fecimus mentionem, a-
quilarum uolatibus: Sicut enim aquilarum pul-
li, prima lanugine uestiti, ad primos uolatus, in
illis ipsis sedibus ubi nati sunt & aliti, exercen-
tur: necdum se aëri audent credere, nunc caput
tantum de nido exerentes, nunc palpitantes su-
pra nidum: At ubi maioribus iam plumis adiuti,
animos simul cum uiribus acceperint, tum libe-
riora cœli spatia, ultro citroq;, sursum atq; deor
sum, uolitantes circumscribunt, ita tamen ut sæ-
pius euolando, nondum sedium suarum, obliti es-
se uideantur: donec sumpto uirium atq; alarum
longè maiore periculo, uel ad sydera usq; per-
tingant

tingant. Ita pueros in priuatis scholis, pædagogorum authoritati omnino inniti oportere censuerim, nec usquam sedibus illis hoc est formulis à pædagogo præscriptis egredi propter teneritatem ac mollitiem ingenij, quæ inest in primo ortu. Ciuiles uerò scholæ paulo habenas laxiores & spatia liberiora, ausus'q; maiores plerūq; desyderant, ne ingenium adolescentis, iam ob ætatem atq; aliquem usum firmius, iudicio præceptoris semper inhærere atq; conniti, non aliquãdo præcurrere uideatur. At gymnasia eam iuuenum solertiam, meo quidem iudicio, iure quodã suo uidentur postulare, quæ altissima cogitatione, sedula diligentia & opera, uarietateq; lectionis, ingens sæpenumero, negotium suis præceptorib9 facessat. Mirum enim est, quàm ea res acuit ingenia, præceptorum ignauiam propulsat excitat diligentiam, cùm interrogando atq; occurrendo (ut fit in scholis Italicis) exagitantur atq; exercentur præceptores, adolescentum priuata illa industria & studio. Tantisper igitur intra scholas ciuiles iuuenis tenendus est, donec communibus hisce studijs, quæ superius recensui, imbutus, ad altiores gymnasiorum disciplinas, non ineptus esse uideatur. Nam si rudem & necdum satis aptum studijs seuerioribus adolescentem ad gymnasia miseris, illa sine dubio consequentur

quentur, quòd & tibi perpetuam inscitiæ opinionem ac notam inures, & adolescentem grandi iactura, serius perueniẽdi quo uelit, & sumptus dispẽdio, præceptoresq; supplendi, ea quæ per te desunt, tædio ac gemino labore afficies.

GYMNASIA, SEV PVBLICAS SCHOLAS EX præceptoribus literarum atq; auditoribus constitui.

CAPVT. V.

Gymnasiorum domos, à plerisq; magnis sũptibus, magnificè extrui, haud equidem uitupero. Est hac in re etiam erga bonas literas, atq; earum præceptores, amoris non paruæ significatio. Sicut in erigendis ac ornandis sacris edificijs templorum, in Xenodochijs, ptochodochijs, atq; orphanotrophijs, non leuia etiã argumenta relucent pietatis: Sed omnia in eo solo ponere atq; putare, iam tum optimè te de bonis literis & repub. esse meritum, cum parietes Gymnasiorum marmore, aut quadrato lapide composueris, pauimenta uermiculato straueris, tecta uarijs coloribus distincta in cælum usq;

usq; eduxeris, intus uerò stemmatis uarijsq; picturis ita exornaueris, ut tota domus ingredienti arridere, & oculos retinere uideatur, hominis est planè stupidi, & qui omnem sensum naturæ repudiarit. Perinde ac si conquisitis undiq; caueis preciosis & arte elaboratis, aut nullas penitus aues includas, aut uiulas upupasq; quæ præterquàm quòd & nulla te oblectent cãtus dulcedine atq; uarietate, cauearum precio minimè respondendo, sordes quoq; ac fimum monumenta ac pignora sui relinquant. Tota quippe gymnasiorum laus, in præceptoribꝰ eruditis, & frequentia auditorum posita est. Et quidem rectè. Nam quemadmodum parietibus extruendis non sufficit lateres coctos adhiberi, ni & calcem mistam cum arena interseras, qua lateres in ordinem digesti fortiter combinentur, cohæreantq;, ac diu retineantur: Nec ullus est usus colonorum, si agros subduxeris, quibus excolendis industriam illi suam exercent, ita præceptores eruditi & minima cũ laude, & nullo penè profectu, sine auditoribus retinẽtur. Gymnasia igitur gaudeant oportet, non solum præstantia atq; eruditione præceptorũ, ut quorum uox, tanquam commune solis lumen, omnibus utilis sit, uerum frequentia etiam iuuenum ut adsit necesse est, qui in Academias confluentes tanquam

tanquam ad mercaturam bonarum literarum, & suis se præceptoribus præbeant excolendos, & eos, ad munus suum nauiter obeundum & libenter, frequentia ac studio suo excitent. Nam ut frequentia gaudens orator fertur flumine orationis, quocumq; impetus eum duxerit, & uires neruiq; orationis cum uno remissiores, corona multorum accensi intenduntur: sic literarum præceptores, mirum in modum studio & copia auditorum ueluti acribus stimulis excitati, multò præclarius munere suo funguntur, & laboris sui magnitudinem uoluptate frequentis auditorij compensãt, Vnde & illud poëta scitè

Excitat auditor studium laudataq; uirtus,
Crescit & immensum gloria calcar habet

Quo quidem nomine prudentiam magistratus Italici non possum satis laudare. Nullum non mouẽt illi lapidem ut eruditissimis quibusq; præceptoribꝰ iuris ac medicinæ, facultatisq; dicendi atq; philosophiæ, ũdiq; accersitis magna mercede. iuuenum insuper studiosorum frequentia, gymnasia ciuitatesq; suas exornent pulchra spe libertatis proposita & honoris. Aceruiut

Septẽ urbes certãt de stirpe insignis Homeri
Smyrna, Rhodos, Colophũ, Salamin, Ius, Argꝰ Athenæ

Sic propemodum & ciuitates Italorum, pro uiris cru-

nis eruditis, qui & gratia orationis & docendi facultate multum possunt, tanquam pro aris et focis, inter se, mercedis magnitudine decertant. Non tam Italis curæ est (quamuis ne ea quidem res prorsus negligitur) magnificis structuris, ac tectis laqueatis, profusis sumptibus loca gymnasiorum extruere, quàm ut uiris singulari eruditione conquisitis, ac ipsorum sedula diligentia, academias illustrando, turbam optimorum iuuenum, rerumpublicarum ornamentum ad sese alliciant. Neq; uerò Itali id sibi laudi ducũt, multitudine ac ingenti copia præceptorũ sua gymnasia gloriari ac tumere: non iactant turbam præceptorũ: paucis qui & ingenio excellenti et eruditione singulari cæteris antecellunt, contenti sunt. Neq; enim facilè multos eosdemq; præstantes ac bonos reperias cum in quauis arte, tũ in his liberalibus disciplinis. Vnde ueterum consuetudo iure optimo (authore Marcello) paucorum numerum pro bonis ponebat, multos cõtra malos appellabat, Video ego te mulier (inquit Accius) more multarum urier. Et Cicero in sexto de republica. Et uerò in dissensione ciuili cum boni plus quàm multi ualent, expetendos ab his non numerandos puto. Et apud Platonem Socrates ô amice (inquit) Crito an ignoras in quouis studio, uiles & nullius precij homines permultos esse? probos uerò paucos, eosq; maximo in precio habendos. Optimè itaq; secum illi, atq; cum gymnasijs suis tunc actum esse putant, cum singulis professionibus uel singulos excellenti doctrina præceptores nacti sunt, quorũ authoritate cæteri nitantur & doctrina, & cõtendant omni studio ac æmulatione ad eandem eruditionis gloriam peruenire. Nostris autem hominibus (rectène an secus aliorum sit iudicium) longè diuersam rationem & placere & obseruari uidemus: Non tam illis curæ est, paucos & eos excellẽtes habere præceptores, quàm omni studio conantur ne solita turba precepto rum illis desit, plerunq; uel numerum auditorũ excedens. Vnde sæpenumero usu uenit honestissimum profitendi munus ac reipublicæ pernecessarium ad homines ignaros summo cum dedecore deferri, dum hoc unum totis uiribus student ne de suo illo usitato ac præscripto numero quicquam diminuatur ac decedat. Ac ueluti pictores absoluto operi, aliqua parerga addunt ne nuda spatia tabulæ relinquantur, sic isti alios alijs præceptoribus sufficiunt, ne quicquam usitato numero ac suæ isti tabulæ deesse uideatur. Omnem etenim gymnasij honorem, omne decus, non in doctrina præceptorum, ac peritia docendi, sed in turba uanaq; personarum ostentatione

leui sané & deuio à recta ratione iudicio collocant. Neq; adeo mirum id cuiq uideri debet, cũ sui iudicij facultatem in præceptoribus adlegendis, nolunt ratione gubernari, ac ex ipsorum arbitratu pendere: Huius tantæ rei, & summam prudentiam & graue iudicium desyderanti, nescio cui libro (metricam Decani ipsi uocant) totam potestatem tanquam tyranno improbissimo permiserunt, ea lege atq; omine, ut quemcumq; iste ipse index, munere præceptoris dignum esse, quibusdam punctis designarit, atq; candidati uetustiorem promotionem (ut uocant) tanquam gnomones ætatem equi demonstrarit, is certò cõmunibus uotis in ordinem preceptorum adlegitur. Vtinam aliam tandem iam mentem induamus & experientia edocti & prudentiorum exemplo, neq; turbam istam præceptorũ & copiam, sed eruditionem ipsorum singularẽ atq; raram, & peritiam docendi ad utilitatem auditorum, ac honestatem decusq; gymnasiorũ pertinere putemus: Breui tempore deterso turpitudinis squallore, quam nobis nos ipsi inussimus, gymnasio nostro immortale decus, regno Poloniæ ingens emolumentum, nobisq; uniuersis ac singulis omnium amorem æternumq; nomen pararemus. Sed eò unde digressa est redeat oratio Nemo sanè, uel mediocriter eruditus negauerit

Scholas publicas ut diximus ex præceptore & auditore constitui. Qualem autem utrũq; oporteat esse, deinceps pro uirili parte dicamus.

QVALEM BONARVM LITERARVM PRAEceptorem & esse oporteat & eligi.

CAPVT. VI.

IN præceptoribus conquirendis dijudicandis adlegendisq; in ordinem, ea plerisq; inest ratio, is sensus atq; modus, ut iudicio maiore usi oculorum corporis quàm mentis, & animi, maiorem etiam corporum quàm animorum habeant rationem. unde exilioribus corpusculis atq; iuuenibus sæpiusculè subirati, proceritatem solam atq; uastitatem aspersam canicie in præceptoribus candidatis adamant. Quasi uerò uel baiulos sarcinis deferendis uel lixas ac calones exercitui compararent, ac non potius duces legant bonarum literarum, qui in honestissima corona adolescentum, certo reipublicæ seminario uersati, non tam humeris supereminent omnes quam eruditione singulari, ut suũ cuiusq; munus fert, pro adsumpta sibi professione. Certè equidem

di disciplinarum antecessoribus ac ducibus, solamq; caniciem laudare ac mirari, exilitatem atq; adolescentiam reijcere: quasi uel ob hoc solũ muneri profitendi minus aptam, hominis est cũ ipsa ratione insanientis. Neq; uerò is sum qui habitudines corporum ad illas animorum ac mentium occultas uires, aliquo modo perspiciendas parum pertinere existimem: Scio enim oculos, frontem, supercilia, uultum deniq; totum, qui sermo quidam tacitus mentis est, animorum esse nuncios ac indices, Scio deniq; corporis ualetudinem, ex qua (ut sic dicam) animi ualetudo, cũ in omnibus hominibus in aliquo munere positis, tum in ipsis præceptoribus admodum requiri, ut & uoce, & lateribus ualeant. Propterea et Plato ex sententia Thracum medici Zamoclydis quemadmodum neq; oculos sine capite, neq; sine corpore caput, ita neq; sine anima corpus curandum esse, optimè censuit: Sed solam corporũ rationem haberi, ac inde totam præceptoris dignitatem æstimare ac metiri, ut plerisq; nostro hoc sæculo moris est, certè equidem id ego non modo summi hominis non esse, sed ne hominis quidem iudico. Itaq; præceptorem & reipublicæ necessarium & iuuentuti utilem designaturo, animus inprimis eius quem legit, summo cum studio intuendus est, Num dexteritate ingenij atq; eruditione non uulgari ornatus sit, ut is potissimum tam honesto ac pernecessario muneri præficiatur, cuius pectus tanquam diues quispiam thesaurus multarum & magnarum rerum suauitate, uarietate, copia, oneratum & complexum emineat. Nam præterquam quòd sit nihil dulcius quàm omnia scire, tum, ut lege Iuuenalis præscribitur, oportet sanè

Vt præceptori uerborum regula constet,
Vt legat historias, authores nouerit et õnes
Tanquam ungues digitosq; suos.

Magnum id quidem est quod Satyrici lege præfinitur, sed & uerum, & spectandum in deligẽdo præceptore. Neq; enim tantum optimi quiq; authores, & castissimi, præceptori perdiscendi sunt, fœdos ac barbaros etiam, quasi per transennam, uideat necesse est. Nam ita, malis cognitis optima quæq; longè facilius, & docebit, & persuadebit auditori. Veluti qui aliquando maria ingressi, uaria mala perpessi sunt, bona quibus in terra cũ uoluptate quietè & tranquillè fruuntur, tot malis comparando, facilius ac longè commodius cuiuis authores esse possunt, quàm illi ipsi qui nihil huiusmodi perpessi sunt, ut illo uiuendi genere turbulento penitus neglecto, hoc tranquillum uitæ genus arripiant. Verũ si forte cuipiam id, infinitum ac inexhausti prope

modum laboris esse uidetur, & disciplinarum et authorum omnium perfectam habere notitiam, altiusq; quàm ut nos id, humi strati suspicere possimus, illud certè tamen (Crasso apud Ciceronē monitore) qđ amplexi sum9, quod profitemur, quod suscepimus nosse ac tenere debemus: Nam sicut legum profitendarum munus, aut philosophiæ ac medicinæ suscepisti, danda tibi certè opera, ut cæteris artibus atq; disciplinis tinctus hoc saltem unū, quod tibi adsumpsisti, quod profiteris, excellentius atq; perfectius didicisse uideare. At uerò quicquid ex flosculis uariarum artium collegeris, id omne in unius tuæ professionis ornamentum collatum, mirum eruditioni ac professioni tuæ splendorem, lucem, gratiam, atq; perspicuitatem docendi, attulerit. Quamobrem quemadmodum minimè eos probauerim, qui omnium cupidi, in singulis penè artium atq; disciplinarum generibus nituntur excellere, nulliq; certæ professioni adfixi, semper incertis sedibus uagantur: Vt in eos illud apud Platonem optimè conueniat. Multa quidem nouerant, sed malè nouerant omnia, ita haud leuiter delinquere etiam isti uidentur, qui certum aliquod professionis genus amplexi à primis statim annis, humanitatis studia, bonarumq; ac ingenuarum artium à se atq; professione sua, tanquam prophanum

phanum uulgus à sacris arcentes omnino excludunt, Bis eo nomine peccantes, primum in seipsos, dum tanta commoditate ac facultate studiorum defraudati, aut serius, aut, ut uerius dicā, nunquam eò perueniunt quò uolunt, & destinant. Deinde in suam professionem, quam, summis ignorantiæ tenebris ac turpi barbariæ inuoluti, tot errorum laqueis, atq; nodis irretiunt Vera profectò uox Platonis, Omnem doctrinam harum ingenuarum humanarumq; artium, uno quodā societatis uinculo contineri, ubi enim pfecta uis est rationis eius, qua causæ rerum atq; exitus cognoscuntur, mirus quidam, omniū quasi consensus doctrinarum, concentusq; reperitur. Quid enim per Deum immortalem aliud tantā nobis interpretum imperitiam inuexit, in omni ferè discipliuarum genere? tantam errorum copiam peperit? quàm quod omnes, sine illa disciplinarum omniun amica coniunctione ac circulo, sine humanitatis studijs, ad scopum studiorū suorum, hoc est ad hanc uel illam professionem cum illotis (ut aiunt) manibus, passim currunt: Vbi eruditionis remis ac uelis destituti, cum æstu ac fluctibus opinionum nequicquam frustaq; luctātes, in altum ignorantiæ pelagus ex portu ueræ intelligentiæ abrepti, miras interpretationum nugas, somnia, monstraq; pepererunt.

Nam qui ad aliquod disciplinæ seu professionis genus, quod ornandum & in quo conquiescendum sibi proponunt, uel sine leui cæterarum artium cognitione accedunt, perinde facere mihi uidentur, atq; illi qui in uastissimas solitudines, sine uiatico & armis ingressi, illinc aut nunquã aut serius euasuri, uitam omnem suam aut famis periculis ac ferarũ morsib9, aut certè diuturnis errorũ ambagib9, inconsultè atq; adeo temerè obijciunt. Rectè illud Protharch9 apud Platonẽ Neminem à scientijs cæteris lædi, qui primas tenet. Quare præceptor potissimum legendus est, qui & ingenij dexteritate potens, & plurimum artium honestarum cognitione perpolitus, ac instructus, id quod professus & amplexus est, egregio quodam modo excellentius, atq; perfectius diuiniusq; teneat & tractet. Sed quia eius eruditionis & doctrinæ cuius usus, aut propemodum nullus est, aut per quàm exiguus ac leuis, uelut occultæ musices & clausi reconditiq; thesauri, parua admodum est ratio & respect9, sedulò cauendum est, ne sola eruditio insignis in adlegendo præceptore, sine facultate & peritia docendi ualeat ac spectetur. Nam ut (autho re Aristotele) finis actionum ciuilium melior ac diuinior est, quo non unus quispiam sed plures uti possunt, Et iustitia οὐκ ἀπ λῶσ ἀλλα πρὸσ ἕτερον dignior & perfectior est, quòd nõ contenta suis ipsius finibus ad alterum etiam referatur, ita doctrina cum facultate docendi coniuncta, quòd multis usui esse potest acceptior esse debet & gratior. Non modo igitur doctrina singulari sed & docendi facultate, & ordine præceptor instructus sit: Nam & Socrates hoc idem ferè sentire uisus est, meo quidem iudicio, illis uerbis. Illud (inquiens) mihi uidetur pulchrum esse, si quis facultatem docendorum hominum habeat. Quamuis enim signum scientis est (Platone teste) scire docere, non tamen perpetuum est & constans, eos qui magnarum & multarũ rerum peritia ornati sunt, continuò docendi etiam facultate, ut debeant, iustaq; methodo ualere. Neq; enim scire solum artis est (inquit Cicero) est ars quædam etiam docendi. Itaq; quod Socrates apud Platonem, orationi tribuit, hoc à se præceptor exigat, ut docendo orationem suam tanquam quoddam animal constituat, quæ suum ueluti corpus habens, quod neq; sine capite sit, neq; pedibus careat, habeat media atq; extrema inter se ac toti conuenientia. Neq; in hoc solum multum cogitationis ponat, ne, in scriptore quẽ interpretandum suscipit, nihil inexcusum prætermittat, cogitet etiam, quo ordine, qua docendi facilitate, animo concepta, repositaq; in me-

moria, explicet articulatè ac enarret. Ita ut seriem interpretationis inuentæ ac compositæ cõtinuo & simplici orationis filo ductam, bono quodam ordine, qui rebus obscuris lumen adfert quasi in digitos diducendo, perspicuitate narrationis, & iuuet auditorem, & delectet. Ne uidelicet aut redundans quicquam, aut non suo loco dictum inconsyderatè, præter rem propositam materiamq; subiectam effutiat. Non sicut quidã Græcus præceptor, obscura oratione delectatus, discipulos orationibus scribendis se exercentes, ut obscuri essent, admonebat Græco uerbo σκοτισον & si qui obscuritate plurimũ excellerent, Tanto (dicebat) melius ne ego quidem intellexi. Adsit igitur docenti, præcipua uirtus oratoris, perspicuitas, quæ non minus etiam tum cum quadam delectatione percipi solet, cùm oratio articulata & distincta non obscurè ad certum finem, uelut ad scopum destinatum ducitur. Iniucundum enim & incognitum inquit Aristoteles quicquid est infinitum. Nec uerò minus repudiat munus docentis nimiam subtilitatẽ disserendi, quemadmodum & leges simplicitatis amicæ. Nam & ij præceptores laudantur in re optimo, qui subtili ratione docendi reiecta, adcommodantes se ad captum auditorum, res obscuras & graues, quãta maxima possunt perspicuitate

spicuitate simplicitateq; pertractant: At qui somnia noua pariunt, ac ueteribus adglomerant contra, & supra, & ultra omnes docendo atq; ad fingendo, fortasse in hoc solum, ut uel ingenium subtile iactent, uel eruditionem inanemq; diligentiam, captãdæ gloriolæ causa ostentent, illis nõ dissimiles esse uidẽtur (ματαιοτέχνους Græci uocant) qui inanes ac uanas artes summa contẽtione multoq; labore, nullo profectu exercent. Qualis ille quem Alexander magnus, summus ingeniorum admirator, milij modio dignum cẽsuit, quòd id genus leguminis in foramen acus ex arte eminus insereret, quales etiam Gallinarij Deliaci, qui cum ouum inspexerant, quæ id gallina pepcrisset, dicere solebant. Nam & isti uerius futiles doctores quam subtiles, circa minutissimas quæstiũculas, magno cũ studio, conatu, nixu & clamore, quasi magna res esset, uersati, bonas horas, cum suo dedecore & auditorum incommodo, malè perdunt: Ac potissimum eo nomine quidam Iureconsulti nostra ætate malè audiunt qui circa quisquilias, & analecta iuris (ut Alciatus dicit) magnam partem occupati, nullum cubitum procedunt, ac tribus mensibus uix unam rubricam absoluunt. Recteq; puerbiali figura Callipide nominantur, ab histrione Callipide, qui cum indecentes motus & nimios

mios in actione haberet, meruit simia appellari. Iam uerò fides etiam ipsa, quàm præceptorem commendet difficilè dictu est. Ne igitur turpi inuidia marcescẽs ac liuidus dicẽda reticeas, quĩ εὐμετάδοτοσ potiꝰ quàm δυσμετάδοτοσ & percontantibus fidelis sis, & non rogantibus ultrò ad impartiendum facilis. Frustra enim eruditione, facilitate, ac perspicuitate docendi præstes, ni simul & fidelem te auditori tuo præbeas: Nec timor est, ne alijs cum fide impartiendo tibi ipsi deminuas ac detrahas. Doctrinæ enim communicatio dissimilis pecuniæ, cum gratia ualde conuenit. Nam qui pecuniam dissoluit, statim non habet id quod reddidit, at qui doctrinam alij, ut debet, bona fide impartitur, quemadmodum & qui gratiam reffert, is & id quod debet dissoluit, fidemq; suam liberat, & nihil quicquam de suo diminuit. Perinde atq; Solis lumen partitipatione, & flamma communicatione sui, nunquam neq; extinguuntur neq; deficiunt. Diligentia autẽ qua una uirtute reliquæ uirtutes omnes continentur (authore Cicerone) sedulitas atq; assiduitas, cum omnibus in rebus pergrata est, tum in docendis iuuenibus plurimum ualet. Neq; enim is mihi detur præceptor, qui sæpe eruditatem stomachi, sæpe capitis dolorem, sæpe aduersam ualetudinem, sæpius clientelas &

amicos

amicos opponens, feruida ingenia discentium, quæ moram pati non possunt, à progressu, ac egregio illo conatu in bonis literis remoretur ac retrahat. Quin si mihi optio daretur, malim equidem mediocrem eruditionẽ præceptoris, cũ diligentia & assiduitate non mediocri coniunctam, quam singularem illam peritiam, comite socordia, cunctatione, desidia. Quamuis cui utrũq; contingit, & diligentia & eruditio singularis certè is in summo precio atq; honore habendus est. Et quemmodum eius imperatoris, qui primꝰ arma capit, primus uallum oppugnat, primus in hostem irruit, prudentia cum uigilantia coniuncta, sanè militem suum promptè, libenter, alacriter, ad militaria facinora patranda exemplo sui prouocat, contra ignauia inertiaq; ducis, propemodum arma militi de manu excutiens, in extrema turpitudinis socordia inertiaq; retinet, aut in omne nephas præcipitat: ita præceptoris docta assiduitas (militia enim quædam est studium etiam literarum) animis iuuenum non mediocrem in literas ardorem ingenerat. At uerò inertia ac negligentia fœda, qua animi atq; corporis bona perdimus, aut plurimos militiæ desertores efficit, aut oscitantes ac desides sine ullo profectu detinet. Itaq; si alterutro carendũ esset, optarim potius doctrinam mediocrem cũ

assidu

assiduitate docendi, quàm summam illam cũ negligẽtia atq; socordia coniunctam, quòd hæc nemini prorsus ne sibi quidẽ utilis reipublicæ multum obest, illa uerò academijs ac per hoc iuuẽtuti penè omni, non parum emolumenti adquiritur. Proinde eiusmodi præceptores, q nihil quicquã mercedi suæ semel designatæ timẽtes, consultò prouident, ne auditores habeant negligentiæ suæ testes, nòn modo nulla mercede digni sunt, sed ne in numero quidem præceptorum habendi: Nam præterquam quod, partim ridiculos se faciunt, non sine reliquorum præceptorum nominis & famæ graui iactura, qui ex istorum paucorum stultitia æstimantur, magnum insuper detrimentum toti reipublicæ adferunt. Quin huiusmodi certa pestis, tanquã inertes fuci & struma ciuitatis, ex Academijs cœtuq; iuuenum, penitus exsecanda est. Illa uerò deridenda arrogantia est, nihil se nescire gloriari impudenter, atq; sæpenumero, quasi noua nec unquam ab ullo uel audita uel animaduersa, publicè se dicturos profiteri. Nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij atq; eloquentiæ multo molestissima. Etenim cum id euidens est stultitiæ ac impudentiæ argumentum, tum sæpe credulos adolescentes, ut pote rerum ignaros, admiratione decipiens, studium nouarum rerum, &

non

non necessariarum, & planè inutilium ingenerat. Nec ignoro optimum esse, præceptorẽ nunquam, neq; errare neq; labi: Sed quia ut Epigrã ma Græcum testatur

Μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν ἐν βιοτῇ: quod etiam Iustinianus sic expressisse atq; effinxisse uidetur, In nullo inquiens penitus errare, & per omnem uitam omnia benè agere, deorum est non hominũ: Nec scire phas est omnia, ut uates lyricus cecinit: non possum sanè eos præceptores non uehementer persequi, qui totius humanitatis atq; modestiæ obliti, fœda homineq; liberali indigna arrogantia, inaudita, noua, nunquam uisa, à nemine hactenus intellecta se dicturos esse, perfricta fronte, inflatis buccis, ore pleno & minari pollicentur, atq; magna professi in paruis uersantur, ut in eos illud Horatianum meritò conueniat.

Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.

Et quod Crasso, apud Ciceronem, oratores qui optimè dicunt, quiq; id facilimè atq; ornatissimè facere possunt, tamen nisi timidè ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, penè impudẽtes uidentur: idem ego de præceptore iudico, & admoneo, ne odioso fastu tumidus susceptum præceptoris munus dehonestet sed potius grato pudore, qui exornat omnem ætatem

tatem

tatem, modestiaq; commendet. Postremo his omnibus in præceptore requisitis, quasi quidam colophon addendus est, honestas scilicet uitæ ac morum integritas. Nam, ut omittam, eruditionem expertem probitatis, calliditatem maliciosam esse, nō eruditionē uel sapientiam, fidem profectò in docendo simplicitatem atq; diligentiam, in ipso præceptore, ni idem bonus uir sit, haud temere reperias. ἐὰν μή τινος ἕνεκα πράττῃ ut uerbis Aristotelis utar, hoc est, nisi uel honoris adipiscendi causa faciat (quamuis & is apud improbos uilis est) uel ingenti certaq; mercede, tanquam graui stimulo impulsus, ad munus suum excitetur. Adde præceptorem sicut & oratorem citius fidem auditori esse facturum, si orationi doctæ, diligenti, atq; simplici, uitæ morumq; honestatem etiam adiunxerit. Et sicut non probatur Menander, qui mores dicentis persuadere putabat non autem orationē, ita nec isti possunt laudari, qui omnem persuadendi facultatē, ad solam dicentis energiam, ac uim orationis reijcientes, mores ab oratore excludunt. Nam ut oratio magnam in persuadendo uim obtinet, ita longè plus habet momenti ipsius probitatis opinio. Vnde præclarè Lacedæmonij, sententiam reipublicæ salutarem, turpissimi authoris facunda oratione dehonestatam, contempserunt, ac rursus eandem

sus eandem à probatissimo homine, licet non admodum facundo, repetitam decreto suo approbarunt. Et communem Græcorum legem extare Plutarchus author est, per quam libri scelestorum hominū etiam boni è medio tollerentur, ut improborum memoria deleretur. Tantū erat apud priscos studium probitatis, tantus amor atq; obseruantia uirtutis, ut eam cum ab omnibus hominibus exigerent, tum ab ijs spectatissimam, quos, uel in republica duces esse, uel mollibus iuuenum animis custodes seu antecessores, præfici uoluerunt. Non igitur in adlegendo præceptore solius corporis ratio habēda est, sed ingenij eruditionis ac peritiæ docendi, non gentis ullus respectus, nobilitatis, aut gratiæ, sed uitæ honestæ atq; morum, ut nutu atq; uerbo auditorum animos in suam sententiam transferat. Proinde non possum non uehementer (dicendū est enim profectò) consilium nostrorum maiorū improbare, qui in cæteris acuti, in ea re parum attenti uidentur, quòd adlegendorum præceptorum ius atq; authoritatem penes eos esse uoluerunt, qui aut fauore atq; gratia impediti nollent, aut inuidia quæ ab unius eiusdemq; officij æmulatione prouenit, non possent nisi deterrimos in ordinem præceptorū adsciscere. Semper enim dignitatis iniquus iudex est, qui aut inuidet

O aut

aut fauet: Et quos tenet eiuſdem ſtudij atq; ho-
noris ambitio, æmulatio, contentio, hij perraro
ſui ſimiles æquo animo ferunt ſuperiores uix un-
quam. Nam

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τε-
κτων

Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς
ἀοιδῷ

Quin uirtutem atq; eruditionem quam ipſi aſſe-
qui non poſſunt perſequentes, illud agunt, ne ſit
qui inter eos excellat, Ephesiorum factum exi-
ciale imitati. Qui cum ciuitate expellerent Her-
modorum, ita locuti ſunt. Nemo de nobis unus
excellat, ſin quis extiterit, alio in loco & apud
alios ſit. Optarim hanc facultatē legendi præ-
ceptores, ad paucos, uirtutis ac eruditionis præ-
ſidio cōmunitos eosq; extraneos, hoc eſt qui non
ſint ex collegio præceptorum, deferri: qui neq;
ullo fauore, neq; aliqua inuidia, a recto officij
ſui tramite moueantur ac deflectant, ſed quic-
quid agunt, ſolius reipublicæ cauſa & reſpectu
agere omnino uideantur. Sed de his hactenus.
Verùm quia ab artium præceptoribus, ætas hæc
noſtra, doctrinæ inſignia, quæ promotiones uul-
gò appellantur, iure quodam ſuo exigit, & no-
bilitas præſertim Polona hoc genus honoris tā-
quā nullo certo & graui authore, ſed ſolo abu-
ſu introductum, repudiat: operepretium eſſe ar-
bitror, hac eadem de re, pauca in mediū adferre.

De inſi-

DE INSIGNI-
BUS PRAECEPTORUM QUAE
illis honoribus qui uulgo promotiones uo-
cantur dari ſolent

CAPUT VII

Olim igitur apud Græcos, atq; deinceps
apud Latinos, ante Auguſti tempora, nō
authoritate publica, ſed priuato ſtudio, qui &
ingenij & eruditionis fiduciā haberent, in uno-
quoq; bonarum artium genere, profitendi ac do-
cendi munus ſibi aſſumebant, Idq; aut uirtutis at-
q; literarum amore, aut æmulatione ac laudis
ſtudio excitati. Veluti duo illa Græciæ lumina
ex Platonis ſchola tanq̄ ab eadem radice pro-
greſſa, Iſocrates atq; Ariſtoteles, primum qui-
dem ſuo quiſq; ſtudio delectatus in diuerſas pro-
feſſiones abierunt. Nam alter officinam dicen-
di intra priuatos parietes exercendo, intra can-
cellos ſuæ profeſſionis ſe continuit. Alter, in ar-
canis ſolius naturæ inueſtigandis omnem cogi-
tationem ſuam tantiſper poſuit, donec Iſocratis
gloria permotus, quā is dicendi ſtudio tum alu-
it, cùm domus eius cunctæ Græciæ quaſi ludus

O 2 patuiſ-

pdtuisset, atq; officina dicendi, artem oratoriam scholis pomeridianis cœpit docere, noto illo ex Philocteta uersiculo frequenter usus

Αἰσχρὸν σιωπᾶν καὶ ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν

Et quamuis plerũq; in præceptoribus eligendis discipuli iudiciũ suorũ magistrorũ sequeretur. ut Aristotelis schola neglecto Menedemo Rhodio ad Theophrastum Lesbium, sub ænigmate uini Lesbij, ab Aristotele morituro, loci sui & magisterij successorem designatum, tota concessit: tamen sæpius, qui & ingenij uiribus, & doctrina pollerent, sectatores sibi suæ professionis atq; sectæ ipsimet priuato studio comparabant. Vnde etiam tot in philosophia hæreses, tot opininones ferè quot philosophi, natæ sunt. Primus Diuus Augustus, ut superius diximus, professioni legum authoritatem suam adhibuit. Nã teste Pomponio, ut maior iuris authoritas haberetur, constituit, ut ex authoritate eius respõderent. Ergo id Sabino concessum est a Tiberio & Gaio Cassio Lõgino: à Vespasiano Celio Sabino ac Pegaso: Traianus item Celso: Adrianus Iuliano: M. Antoninus philosopus Scæuolæ: Seuerus Marcello, Alexander Vlpiano, atq; alij alijs eam authoritatem dederunt. Posteriores deinde imperatores, Augusti exemplo idem in cæteris artibus obseruari uoluerunt quod ipse sanxit in

xit in legibus, ueluti Gordianus, Constantinus, Iulianus, Valentinianus, Theodosius, qui suam ipsorum authoritatem in ordinem senatorum & Decurionum trasferendo, penes eos ius creandorum præceptorum esse iusserunt, ea lege, ut quem ipsi idoneum esse censerent, is dignus præceptoris munere haberetur. Ne uidelicet suo quisq; arbitratu sine authoritate Senatus aut Decurionum, docendi munus arripiens ac docens dediscenda, in bonas artes, inq; rempublicam peccet. Verùm ut ea res penè oculis subijciatur, nonnullas constitutiones imperatorum ad uerbum libuit adscribere. Gordianus, Grammaticos, inquit, seu oratores decreto ordinis probatos, si non se utiles studentibus præbeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse incognitũ non est. Iulianus item, Magistros (inquit) studiorum Doctoresq; excellere oportet, moribus primum, deinde facundia. Sed quia singulis ciuitatibus adesse ipse non possum, iubeo, quisquis docere uult, non repentè nec temerè prosiliat ad hoc munus, sed iudicio ordinis probatus, decretũ Curialium mereatur, optimorum conspirante cõsensu. Et Valentinianus, Si quis (inquit) in archiatri defuncti locum est promotionis meritis aggregandus, nõ ante eorum particeps fiat, quàm primis qui in ordine reperientur, septẽ uel eo am

plius iudicantibus, idoneus approbetur. Postrema veró & recentior ætas, non quidē sine causa, imperatorum Pontificumq; authoritate, facultatem creandorum Doctorum ad collegia seu Academias reiecit. Quòd id genus hominum ab omnibus ferè reipublicæ functionibus immune, ac studijs honestis, uirtutiq; toto conatu deditum spem de se ampliorem maioremq; opinionem præberet, optimè omnium iudicādi de uirtute eruditioneq; aliorum. Nemo enim non pessimè de ijs iudicat quæ non nouit: contra eorum quæ bene nouit, bonus quisq; est iudex. Sicut igitur in prophana militia certi dignitatum ordines, coronarumq; insignia diuersa pro uniuscuiusq; meritis, authoritate legum & imperatorū uoluntate tribuuntur: Et athletæ tribus coronis in sacris certaminibus coronantur, ita etiam tribus gradibus ad apicem magisterij peruenitur (quod Alciatus ijs penè uerbis quæ hic adscripsimus tradidit) Primus est quem à bacca laurea, qua coronari solebant Baccalaureum dicūt. Confertur illi qui biennium, aut ex Iustiniani cōstitutione quadriennium studijs operam dederit. & iam aut philosophiæ, aut legum, aut certè sacræ scripturæ nodos soluere incipiat. Iustinianus huiusmodi Lytas idest solutores uidetur appellasse. Alter est qui licentiatorum dicitur, Iustinianus

nus prolytas appellat. Etenim ij propter consumatiorem doctrinam licentiam habēt insignia Doctoralia suscipiendi, unde & licentiati dicuntur solo insignium honore à magistris differentes. Summus gradus est eorum, qui insignia ipsa sunt adepti ij ἐμφατικοτέρως Doctores seu magistri dicuntur, seruantq; propriè id nomen si docent, fruunturq; priuilegijs amplioribus. Videntur ij Iustiniano esse antecessores, quòd scilicet præeant scholasticis eos docendo. Insignia autem Doctorum hæc ferè sunt, inprimis liber clausus, deinde & apertus: etenim philosophiæ & legum scita, ceu mystica quædam non omnibus promulganda sunt. Vnde tali ceu symbolo admonentur, ut indignis eos libros claudant, et doctis dumtaxat atq; probis uiris mysteria aperiant. An quòd ea quasi quædam possessio est profitendi, quæ librorum apprehensione accipitur, quod fit non aperiendo solum, sed & claudendo. An quòd eam potestatem eo facto accipiunt, quam uetustissimus, idemq; circumspectissimus Deorū Ianus habet, qui, ut est apud ouidiū,

Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

Alterum insigne est annulus, cuius rationem explicat Aulus Gellius, quòd à digito manus sinistræ qui minimo proximus est, repertum per anatomicos sit, neruum quendā se nuissimum ad cor hominis pergere atq;

tinere, propterea non inscitum uisum est, eum potissimum digitum tali honore coronari, qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis uideretur. An quòd digito qualicumq; annulus insertus, ordinis equestris signum est, & bellicæ uirtutis atq; nobilitatis insigne ut Plinius & Triphoninus Iureconsultus ex constitutione Diui Marci tradit, qui (inquiens) ius annulorum impetrauit, in ordinem ingenuorum trãsijt. Tertium est insigne impositum capiti tegmen, quod birrum uocamus, id tegmen imponitur tanquam tiara quedam, aut cidaris aut causia, quæ pileorum aut petasorum sunt species quibus honoris causa regum capita ornantur. Neq; enim uidentur ueteres uulgare hoc, quo nos utimur, tegmen & birretum uocamus, habuisse. Traditum est pilei umbella Hippocratis imaginem tegi solere, ut inde admonerentur homines eam partem maximè curandam custodiendamq́; in qua tanquam certa sede animus cõquiesceret, & mentis pontificium esset repositũ. Etiã si nobilitatis id quoq; esse argumentũ quidã scripserint, Cœlius Sabinus (ut est apud Gelliũ) seruos eos pileatos uenire author est, quorum nomine uenditor nil præstabat: quòd huius conditionis mancipia insignia esse in uẽdendo deberent. Quartum est insigne osculum, quod pacis signũ

signũ uulgò appellamus, quod studia omnia, & præcipuè legalia pace & concordia consistant iurgia & rixas abominentur. An quòd antecessor qui doctori tyroni ornamenta confert, tanquam filium osculo excipit. Etenim sic solebant patres erga filios. Aristophanes in Nubibus

κῦσόν με καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν,

Meme osculator, & manum da dexterã. Quæ singula doctissimus præceptor noster Alciatus his uersibus persecutus est insuper, & cecinit eiusmodi ornamenta conferendo.

In primis capias doctrinæ insignia librum,
Qui clausus nutu stet pateatq; tuo.
Annulus in digito puri tibi ponitur auri
Hoc quia sit facto pactus equestris honos.
Stet capiti sublimis apex, tegmenq; uerendũ
Vt sophiæ sedem digna corona tegat.
Oscula patroni præstent, quòd mane togati
Hoc tibi seu pacis siue clientis habe
Restat ut æternus genitor tua uota secundet
Atq; hec fœlici sydere facta uelit.

Quisquis itaq; præsertim nobilium, tam acerbo est animo, in ipsos præceptores, ut uel eo ipso honori etiam suo detrahens, quem & ipse similiter uel principis sui beneficio uel legum authoritate, propter uirtutem nactus est, eos & honore debito spoliari & carere, & infra omnes

homines esse uelit: is, primum in ipsas leges cõmittit, quæ non leuem honoris prærogatiuam, eruditioni atq; doctrinæ dederunt, ius aurei annuli, quod nobilitatis signum est, præceptoribus seu militibus tribuendo. Deinde in rempublicã, atq; adeo in ipsam uirtutem ualde peccat: Sublato enim debito ac digno honore præceptorum studium uirtutis literarumq; amorem ex republica simul tollit, eo grauiore iactura rempublicam afficiendo, quo animi bonis multo maiore periculo caremus quàm corporis. Et quidem miles propter uires corporis quibus hostes fugat & fudit, insigne nobilitas iure quodam suo meretur. At uirtutis & literarum studiosus ut qui eam sibi delegit officinam, ut docendo multis ꝓdesset, multo maiore uictoria potitur hostibus animi deuictis, longeq; etiam illustriorem nobilitatis prærogatiuam meretur, dum effrenatas cupiditates ac præcipites affectiones, arcem uirtutis euertentes, & suos & iuuentutis hostes, quæ ob ætatem in omne nephas preceps est, saluberrimis disciplinarum præceptis moderando atq; reprimendo intra regni sui fines continet, atq; ad bene beateq; uiuendum instituit. Maius est enim (ut est apud Lyricum) superare animi hostes quàm corporis

Altius regnes auidum domando

Spiri

Spiritum, quàm si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & uterq; pœnus
Seruiat uni

Neq; ita pridem hoc malum in nostram rempublicam inuasit. Hoc animo maiores nostri, & equestris ordo in bonas literas semper fuit, ut nõ modo suam istam εὐγενίαν nominibus doctorũ & magistrorum contaminari non putarent, (quod nostri seculi peruersa iudicia facile sib persuadent) sed nonnihil etiam honori suo quẽ à parentibus, ueluti per manus acceperunt, detractum esse putauerunt, nisi hæc ipsa ἐξοχὴ uirtute atq; eruditione parta, accederet. Etenim si istis doctorum insignibus aliquid nobilitati decederet, nunquam neq; Tomicius, neq; Choinicius Episcopi & senatores præclari, ut erant & ingenio, & sapientia mirabili, eos honoris gradus palàm, liberè, atq; libenter iactauissent. Neq; Iulius Cæsar (ut missis domesticis, ueterum exempla commemoremus) in collegium poëtarum adscribi uoluisset, inq; illo ordine, infra multos sedere, cum extra eum locum supra omnes longè primus esset: Neq; Marcus Tullius Cicero, illustris Senatoria & consulari dignitate, in augurum collegium receptum se esse gloriaretur, si hoc non honori sibi esse putassent. Verum si aliter stat sententia, per me licet, honore quisq;

suo

ſuo contentus delectetur, modo alieno item ho-
nori non detrahat. Si enim ego te, (ut tecū quiſ
quis es, nō adeo ſeuerè agam & grauiter, quàm
& uerè & leniter) de gradu honoris tui (quem
meo honori parem eſſe non inuitus, ſuperiorem
nequaquam conceſſerim) non deijcio. Si eum ho
norem non inuideo, quem tu ipſe tibi in bello, ui
gilijs atq; laboribus, rei militaris peritia, ſtudio
in rempublicam tuo, uel mihi ipſi utilem pepe-
riſti, cur meum honorem etiam, quem ego uiciſ-
ſim tempore pacis ac ocij merito ſanè meo, lu-
cubrationibus crebris, uigilanti ſtudio & opera
nactus ſum, tibi etiam liberiſq; tuis, ſi non iniquꝰ
iudex ſis, non minus utilem quàm neceſſarium,
cur inquam eum mihi tu iniuſtè atq; adeo teme-
rè per uim eripis? Cur me tecum iure æquabili
uiuere non ſinis? cur meum ius conuellis, tuum
ſeruas? An neſcis leges omnibus æquabiles eſſe
debere: & ſuperiorum iura ita ſeruanda eſſe,
ne inferiorum iniuriæ admittantur: atq; adeo
priuilegia militū ad alienā iniuriam porrigi nō
oportere: Et qui derogat alienis priuilegijs, ſu-
is merito priuandus eſt. Sed nobis uiciſſim ſolēt
obijcere criminis loco, quòd non omnes æquè mu
neri atq; noſtræ profeſſioni reſpōdeamus. Ma-
ximam partem eſſe qui nomine tantum Docto-
res & magiſtri ſumus, re uera ab eo quod ſuſce
pimus,

pimus, quòd profitemur, procul ſanè & longo
interuallo abſumus: Maiorem uitæ partem nos
in uoluptate & ocio conſumere, quam cogitati
onis ponere in literis bonis & uirtute, ſoliſq; in-
ſignibus honoris contentos, poſſeſſionem uirtu-
tis literarumq; excludere. Eoq; iam prorſus ne
gligentiæ ne dicam amentiæ perueniſſe, ut par-
uam rationem inter nos eruditionis ſeu doctri-
næ, gratiæ atq; pecuniæ maximam habeamus.
Non eſſe nobis curæ ut magiſterij inſignia pau-
cis & dignis conferamus, ſed paſſim omnibꝰ qui
ſe ingerunt, ſine delectu admiſſis, hunc tantum
honorē prophanare atq; proſtituere. Et quod
omnium iniuſtiſſimum eſt, in noſtris candidatis,
qui hunc aut illum promotionis gradum ambi-
unt, non iuſtam nos eruditionē requirere ut de-
bemus: & quid quiſq; eorum dedicerit penitus
negligere, eo duntaxat contentos in eiuſmodi ho
noribus conferendis, ſi certos authores ſingulis
gradibus, legibus noſtris præſcriptos, ex nobis
ſe biennio audiſſe noſtri candidati aut fateantur
aut negent, utrumq; cum certa iactura æris ſui.
ut illud ipſum quod facimus non doctrinæ aut
eruditionis examen eſſe, ſed quædam exactio pe
cuniæ uideatur. Ad ea pro omnibus ſic
paucis reſpondeo: Mirorq; imprimis, id iſtis
in mentem ueniſſe, omnes præceptores
debito

ptores, debito honore meritò esse spoliandos. quòd quidã muneri ac honori suo minimè respõdeant. Alioqui si propter paucorum abusus, suo quisq; honore priuandus esset, honestissimi quiq; ordines Episcoporum, Sacerdotum, Senatorum & Equitum, hac una lege uestra cadunt omnes. quòd & hic plurimos reperias, qui à maioribus suis, atq; ordinis splendore degeneres, tenebrosissimo uiuendi genere, cæterorum sui ordinis splẽdorem lucemq; dehonestant & obscurant. Quin illud efficite si potestis, ut præceptoribus de re literaria bene meritis amplas mercedes & honorem longe maiorem: paruæ autem aut nullius frugis, exiguas uel nullas mercedes, proponatis: sic illos quidem haud inuitos in officio continebitis, calcar subdentes ut uelocius currant, hos uerò pudore ad frugem meliorem reuocabitis. Atq; illud etiam uobis curæ sit, ut optimi quiq; præceptores in sua republica multum, deterrimi minimum possint. Nullus iam tum gratiæ inter nos (mihi crede) nullus pecuniæ locus erit. Quòd boni nullo emolumento impelluntur in fraudem & auarittiam, improbi sæpe paruo. Omnia tum demum uirtutis ac eruditionis regula metiemur. Ea deinceps sola, tanquã lanx ponderibus depressa superabunt. Namq; boni obliti commodorum suorum ad salutem atq; ornamen-

namentum reipublicæ omnia gubernabunt. Nec quid quisq; audiuerit, sed quid quisq; candidatorum didicerit, ponderabunt. Illius non ignari, Malè se rem habere, cum quod uirtute effici debet, id tentatur pecunia, Et uirtute ambiri oportere non fautoribus. Quanquam & illud cum Alciato facilè mihi persuaserim. Non semper hic tam exactam eruditionem requiri, ut candidatos non nisi omnibus numeris absolutos assumamus. Plerumq; eos adolescẽtes conuenit laureis coronari, qui & si nec dum perfectæ doctrinæ scopum adepti sunt, tamen & ingenio mirabili & diligentia admirabili spem de se magnam pollicentur. Tales enim splendore honoris sui admoniti, & tanquam quodam acri stimulo excitati, ut qui laudis sunt auidi, ad apicem eruditionis uirtutisq;, omni conatu & nixu cito pertingunt. Reijciendi uerò omnino, qui uel libidinibus & flagicijs infames, uel inscitia implicatæ impudentiæ notati, nullam spem de se bonæ indolis dare possunt. Nam maiorem turpitudinis notam & conspectiorẽ ordini suo inurunt, pauci degeneres & mali, quàm ut ea plurimorum splendore, eruditione, ac uirtute possit deleri. Acutiusq; ferè ea cernuntur & tenacius hærẽt, quæ uituperamus quàm quæ laudamus

Discit enim citius meminitq; libentius illud

Quod

Quod quis deridet, q̃ qđ ꝓbat & ueneratur.
Sed si aberret iudicium in conferendis eiusmodi
insignibus. Nam sæpe decipimur specie recti, Il-
lud prouidendum erit uel maximè, ne aut im-
proborum turpe ocium, impunè inter optimos
delitescat, aut contra bonorum diligens ac sedu-
la eruditio, alieno ignorantiæ squallore absq; ul-
lo præmio, indignè obscuretur. Tum enim bene
cum omni republica agitur, cùm bonis sua mer-
ces, improbis suæ pœnæ, pro meritis cuiusq; tri-
buuntur. Alioqui si honestas illas societates col-
legiorum, propter quorundam ignauiam, uno
ordine absq; ullo discrimine, omnes habebitis, et
uirtus sanè atq; eruditio expers honoris iacebit,
& de uestro gymnasio nunquã licebit uobis spe-
rare meliora. Sed de præmio & honore præce-
ptorũ loco suo, nunc tantum illud admoneo non
tam esse in uitio ordines collegiorũ, quod amor
literarum, atq; authoritas adeo in eis refrixerit
quàm sunt reprehendendi cum senatorum regni
tum Episcoporum ordines, qui uiui uidentesq;
ut dicitur, rem tantam tamq; reipublicæ saluta-
rem pessum ire atq; perire patiuntur. Querũ-
tur quidem, ingemiscunt, atq; condolent, studia
literarum à suo nitore recessisse, sed nemo ne
summo quidem digito promouet, priuati fortas-
se studio impeditus, ut illa iam tandem quæ mi-
nimè

nime probat, nitori suo restituat. Iam boni præ-
ceptoris officium atq; munus, ijs propemodum,
eruditione, docendi peritia & perspicuitate, sim-
plicitate differendi, fide, diligentia, moribusq; ho-
nestis, atq; honoris insignibus ordinis authorita-
te cum iudicio attributis, pro cuiusq; dignitate
& meritis, quasi quibusdã cancellis circumscri-
psimus: nunc, quidnam illud sit, quod præcepto-
res in suo officio nõ inuitos retineat, dicendũ est.

QVOD HONORE, GLORIA, LAVDE, PRAE-
ceptores ad munus suum nauiter obe-
undum non mediocriter exciten-
tur: & qualia hæc quantaq;
ijsdem præceptoribus de-
beantur.

CAPVT VIII

SEd prius quàm ad rẽ propositam ceu spar-
gendum semen ueniamus, ea inprimis quæ
possunt obesse, more boni ac diligentis agricolæ
euellamus. Neq; enim desunt non modo philo-
sophi perfectam quandam uiuẽdi rationem atq;

regulam præscribentes, sed quidam etiam qui no
biscum in hac communi uitæ institutione uersā-
tur. qui, quòd uirtutem extremum illum atq; sū
mum finem bonorum, se ipsa contentam esse de-
bere existiment, neq; ullis aliunde petitis, aut ho
noris ornamentis, aut præmiorum adminiculis in
digere, illud etiam siue per iocum quod magis
credo, siue quòd ita sentiant constanter asseue-
rant, præceptorem contentum ornamentis uir-
tutis suæ minimè ociosæ, qua reipublicæ honestis
simè prodest, nullam neq; honoris accessionem,
neq; par præmium labori à republica posse uel
petere honestè uel iure quodā suo exigere. Qui
hoc responsum habeant non adeo nos esse nostri
oblitos, nec in tanta ignorantiæ ac erroris cali-
gine uersari, ut uirtutem summum esse bonum
ignoremus, atq; eam suis ipsius regionibus con-
tentam esse debere. Nam quòd honorem uirtuti
nostræ debitum, & digna præmia laborum qua
si iure quodam nostro, à republica atq; eius ma
gistratu exigimus, non uirtutem spoliamus ho-
nore su[o], nō suis possessionibus deturbamus atq;
excludimus. Verùm partim imbecillitati naturæ
humanæ prospicimus, quæ ad uoluptatem boni
imitatricem, malorum autem matrem omnium
ad ocia atq; desidiam, nescio quo modo pronior,
ad uirtutis literarumq; studium, mercedis ac ho

noris præmio, tanquam ardenti face, acriq; sti-
mulo accenditur & impellitur, iisdemq; ipsis re
bus ceu uinculis tenacibus, in officio uirtutis atq;
bonarum literarum continetur: partim facul-
tates nobis atq; adminicula, ad uirtutem cōmo-
dius amplectendam comparamus. Rectè enim
Peripatetici in ipsa uirtute, ita summum illud
bonum posuerunt, ut aut nullo pacto aut non
facilè benè agere pauperem existiment. Itaq; &
præceptores bonarum literarum ut in officii sui
functione, promptè, expeditè, & maiore cum in
dustria uersentur, neutiquā debito honore frau-
dandi sunt. Mirum enim est quàm leuet laborem
ipse honos. Etenim si in brutis ratione destitutis,
inest aliquis sensus laudis. Solent enim equi ut
grauissimus poëta cecinit.

Tū magis atq; magis blādis gaudere magistri
Laudibus, & plausæ sonitum ceruicis amare

Si deniq; pueri qui ut sunt cupiditatibus pluri-
mum obnoxii, ita plurimum castigatione indigēt
tamen laudis studio nonnihil cōmouentur. Quid
tandem illi facient quos & ratio & adulta iam
ætas admonet dulcissimos esse gustus honoris &
gloriæ: Propterea & Cyrus apud Xenophontē,
rectè putans eosdem labores non esse æquè gra-
ues imperatori & militi, quòd honos laborem
leuiorem faceret imperatorium, ita inquit. Ho-

nos labores imperatori leuiores efficit, præsertim quòd itelligit in hominũ esse oculis quicquid facit. Quid enim? præclari illi iperatores Epaminundas, Lysander, Alexander magnus, Hannibal, Scipiones, Marcelli, Pompeius. Iulius atq; Augustus Cæsares, tantáne bellica facinora peregissent, quanta essent optanda magis quã speranda, tamq; graues labores suscepissent, si ijsdẽ finibus, famam nominis sui, quibus uitam conclusum iri putauissent? Quid Atheniensis Themistocles? num adeo præclaram ac illustrem uictoriã ex Marathone Athenas una cum maris imperio intulisset, ni reipublicæ munia capessendo, & cõmessationes compotationesq; solitas abiecisset, & somnolentiam excussisset, Milciadis trophæis, ut ipsemet dicebat sæpius excitatus? Quid. M. Tullius Cicero tantóne sui capitis periculo cum reipublicæ patriæ suæ hostibus tantam dimicationẽ suscepisset? nisi æterna apud posteros gloria conatu illo suo atq; industria, qua Romanam rempublicam, ciuium improborum coniuratione tanquam laqueis impeditam, ex certa pernitie Consul eripuit, nomen suum commendatum ac consecratũ iri credidisset? Neq; uerò milites suos etiam labores leuiter ferrent, sine certa spe sui honoris: nunquam, mihi crede, in tot tamq; uaria pericula ruerent, neq; æquo animo tot malis afficerentur, ni pulchrã honoris mercedem, uidelicet, uel

Seruati ciuis referentem præmia quercum.

Vel immunitatem, uel aliud quoduis eiusdem generis insigne honoris, animo prospicerẽt. Quod si Asiatici exercitus nimio luxu notati, rerum charissimarum studio, sed externarum, & quæ paruo tempore durant, quas secũ (ut est apud Xenophontem) in pugnam deferunt, pugnatiores fiunt, Quid fortissimos milites seueriore militari disciplina institutos, laudis, honoris, atq; gloriæ studio quæ & immortalis est & externorum omnium maximum bonum, facturos esse censes? Vides igitur imperatori & militi labores leuari spe honoris, Et rectè, Diuinũ enim bonum honor est & gloria, quæ quia rectè factorum plerumq; comes est (authore Cicerone) non est bonis uiris repudianda. Nam ut leuitatis est (eodem ipso teste) inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari, sic leuis est animi splendoremq; fugientis, iustam gloriam, qui est fructus ueræ uirtutis honestissimus, repudiare. Atq; quemadmodũ imperatores ac milites in Martis castris, sub dio libenter honos retinet, ita præceptores literariæ in palæstra suæ Mineruæ, ad altissimas cogitationes, omneq; studium in bonis literis ponendum.

ad munusq; suum publicè patienter & libenter
obeundum splendore nominis sui atq; gloria in-
cenduntur. Quod ut Sulmonensis poëta canit.

Ingenij stimulos subdere fama solet.

Et quidem eo modo Græcia, cui & humanitatẽ
& disciplinam debemus, & ingeniorum &
humanitatis ferax, in tantum perfectionis apicẽ
fastigiumq; omne ferè disciplinarum & artium
genus extulit, ut reliquas propemodum natio-
nes omnes, sapientiæ atq; eruditionis ramis adũ
braret. Habebatur enim apud Græcos singula-
ris quidam ac præcipuus eruditionis respectus,
rudem atq; inertem esse, non modo turpe, sed uix
hominis putabatur: Honestis uerò artibus ante-
cellere adeo præclarum erat, ut, qui in aliquib9
disciplinis excelluerũt, eo honore, qui apud Græ
cos summus est, positis nimirum statuis publicè
ornarentur. Hinc Stesichoro poëtæ statuã Hi-
meræ ciues posuerunt, senilem, incuruam, cum
libro, summo ut putant artificio factam, ab eo
qui fuit Himeræ, quæ fuit tota in Græcia sum-
mo propter ingenium honore & nomine. Quid?
nónne honoris summi loco est? quòd Homerum
Colophonij ciuem esse dicunt suum, Chij suum uẽ
dicant, Salaminij repetũt, Smirnæi uerò suũ es-
se confirmant, itaq; etiam delubrum eius in op-
pido dedicauerunt. Rhodij contra, Salaminij, Ar
giui, Athenienses pugnant inter se atq; conten-

dant

dunt pro eodem ipso Homero. Gorgiæ item Le
ontino qui princeps ex omnibus (ut est apud Pla
tonem & Ciceronem) ausus est in conuentu po
scere, qua de re quisq; uellet audire, tantus ho-
nos habitus est à Græcia, soli ut ex omnibus Del
phis non inaurata statua, sed aurea statueretur
Macedones item Atheniensium legatis petenti-
bus ut ossa Euripidis, in terram illius patriam
permitterent transferri, maximo consensu in re
deneganda perstiterunt. Alexandri quoq; fœlix
sæculum, non solum artificiorum nobiliate atq;
præstantia, sed & disciplinarum ac philosophiæ
splendore illustrauit suus honor eruditioni exhi
bitus. Nam ut illa interim præteream Apelli
& Lisippo tãtum honoris tribuisse Alexandrũ,
ut ab hoc fingi potissimũ ab illo pingi uellet, ac
utroq; familiariter uteretur, Aristotelem certè
& philosophum & præceptorem mirificè ad-
miratus est, adamauit, coluit. Anaxarchũ item
harmonicum, inter paucos amicorum honorifi-
cè habuit, Onesicritum Diogenis Cynici discipu
lum gubernatorum præfectura ornauit. Dioge
nis uitam, cum ipso ad Corinthum collocutus,
adeo obstupuit, animiq; dignitatem admiratus
est, ut sæpe, cum in mentionem eius incidisset, di
ceret, nisi Alerander essem Diogenes forsan es-
sem. Romani autem serius quidem cum animum

 in bonas

in bonas literas atq; humanitatis ſtudia induerũt
propter occupationes belli, ut digna etiã apud
eos amplo honore eruditio uideretur: Sed ætas
illa Auguſti, adeo & copia doctiſſimorum homi
num, & iiſdem honore exhibendo excelluit, ut
hoc ipſo ſtudio uel cum Alexandrĩ ſæculo, pari
contentione certare poſſet. Nam ingenia ſæculi
ſui Auguſtus omnibus modis fouit: Recitantes
& benignè & patienter audiuit: nec tantũ car
mina & hiſtorias, ſed orationes & dialogos. Cõ
poni tamen aliquid de ſe niſi & ſerio & à præ=
ſtantiſſimis grauiter ferebat. Honores ſeu ma=
giſtratus non niſi eruditis detulit, iiſdemq́; im=
peritos ſæpius abdicauit. Traditur legato eum
conſulari ſucceſſorem dediſſe, ut rudi & indo=
cto, cuius manu ixi pro ipſi ſcriptum animad=
uertit. Anthenodorum philoſophum ſecum diu=
tiſſimè habuit, & coluit, & ſenectutem incuſan
ti ac ſe domũ dimitti precanti, ægrè admodũ
& uix ut diſcederet conceſſit. Medico item An
tonio Muſæ cuius opera ex ancipiti morbo Au=
guſtus conualuerat, in Auguſti gratiam & ar=
tis medicæ honorem, ſtatuam ære collato, iuxta
ſignum Aeſculapij frequens ſenatus poni iuſſit.
Traianus item imperator, Celſo iureconſulto,
qui & orator ſummus Prætorq; & Conſul erat
ſtatuam iuſſit conſtitui, quòd eum in ſummo ho=
nore

nore haberet. Nec mirum igitur tot clariſſimis
atq; literatis uiris illud ſeculum floruiſſe, quo,
uirtutis & rectè factorum honos, ut corporis
umbra comes erat. Nam ſicut fertilitatem fru=
gum humor, ita ingeniorum & artium copiam
honor auget. Itaq; iam uel luce ipſa clarius eſt
maximos quosq; labores honoribꝰ leuari, et præ
ceptores libenter ſpe gloriæ in officio contineri:
Reliquum eſt ut eum ipſum honorem qui præ=
ceptoribus debetur qualis & quantus ſit deſi=
gnemus. Neq; enim eſt hoc diſſimulandum Cice
rone authore quod obſcurari nõ poteſt: ſed præ
nobis ferendum. Trahimur omnes ſtudio laudis
& optimus quisq; maximè gloria ducitur, illi ip
ſi philoſophi, etiam in illis libellis, quos de con=
temnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcri=
bunt & in eo ipſo in quo prædicationem nobili=
tatemq́; deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominarẽ
uolunt. Honos igitur præceptorum ex hijs ferẽ
conſtat, Primum ne quæſito honore iniuſtè ex=
polientur. Cum enim ut ſuperius expoſuimus,
Doctorum & Magiſtrorum inſignia, iusq́; aureĩ
annuli impetratũ, nobilitatis ſint ac ordinis E=
queſtris ſymbola, conſequens eſt ut bonarum li=
terarum præceptores, eodem libertatis immu=
nitatisq́; iure gaudeant, quo equeſtris ordo frui=
tur. Nam fruſtra geſtes honoris inſignia, ſi ijs ca
P 5 reas

reas quæ illum honorem sequi debent. Adhibito tamen eo delectu seu censura, ut, quicunq; insignibus sic quæsitis nec eruditione respondent, nec moribus, ab eodē illo ordine, quo se indignos præstiterunt, constitutione imperatoris Gordiani reprobentur, tantum abest ut uel minimo nobilitatis atq; immunitatis iure tutos se esse arbitrētur. Nam sicut uel ipso Cyro iudice apud Socraticum Xenophontem Honestum est quenq; pro dignitate honorari, ita eodem Cyro authore Nihil est iniustius quàm ignauum & fortem uirum paribus præmijs exæquari. Propterea Antoninus Pius, mercedes multis subtraxit, quos ociosos uidebat accipere, dicens nihil esse sordidius imo crudelius, quàm si rempublicam ij arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Thrasylus Cynicus cum ab Antigono Drachmā petisset At regi (inquit) hoc dare non conuenit: sed illo subijciente Da igitur mihi talentum, At Cynicum, inquit, hoc accipere non decet: Et quāuis eo responso sapiens rex innueret, quid sectæ quid ue homini Cynico conueniret, qui se diuitiarum contemptorem palam profitebatur, tamen simul occasionem cogitandi nobis dedit, ne existimemus ijsdem præmijs omnes donisq; æqualibus dignos uideri, sed pro cuiusq; dignitate ac meritis. Curæ pfectò ordini esse debet, penes quē

ea po

testas est, de eruditione iudicandi, ut aut soli spectatæ eruditioni aut certè optimæ spei conferant Magisterij insignia, ne ineptissimis passim receptis, ordinem suum ignonimia afficiant aut receptos iterum abijciant & reprobent, qui honore emētito inutiles se auditoribus præbent, ne forte iura suæ immunitatis labefactent contagione improborum. Deinde quemadmodū mali præceptores dedecore, boni honore afficiendi sunt, ita inter bonos gradus honorum obseruentur. Nam quorum magis spectata est & probata industria & uirtus, ij maiore etiam honoris prærogatiua ornādi sunt. Neq; enim par est desidiam cum solertia æquari. Hinc enim cōtentiones authore Aristotele, atq; rixæ, quando æquales non æqualia, aut non æquales æqualia habent & sortiuntur. Quapropter maiori immunitate atq; honore digni sunt, qui publicè pfitendi munus obeunt, ijs qui paucis utiles intra priuatos parietes consenescunt: nisi forte alio quouismodo reipublicæ prodesse arte sua uideantur, ut iureconsulti ac medici quos in ciuitate esse, reipublicæ multum interest. Quanto autē honore præceptores disciplinarum si continuē doceant digni sunt, Imperator Valentinianus declarauit illa constitutione, qua in librum Codicis Iustiniani duodecimum inserta, eum præce-

ptorem

ptorem qui uiginti annis Constantinopoli docuerit, honore ducis ac Comitis honestauit Grammaticos (inquit) tam Græcos quàm latinos, Sophistas & Iurisperitos in hac regia urbe professionem suam exercentes & inter statutos connumeratos, si laudabilem in se probis moribus uitam esse monstrauerint, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem copiāq; disserendi se habere patefecerint, & cœtu amplissimo iudicante digni fuerint existimati, cum ad uiginti annos, obseruatione iugi, ac sedulo docendi labore peruenerint: placuit honorari, & ijs qui sunt ex uicaria dignitate connumerari. Cōstantinus quoq; Cæsar, Medicos & maximè Archiatros, uel ex Archiatris, grāmaticos & præceptores alios literarum & Doctores legū, una cum uxoribus & filijs, necnon & rebus quas in ciuitatibus suis possident, ab omni functione & ab omnibus mumeribus uel ciuilibus, uel publicis immunes esse præcepit, & neq; in prouincijs hospites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi uel exhiberi, uel iniuriam pati, ut si quis eos uexauerit, pœna arbitrio iudicis plectatur. Tertium est quod ad honorem præceptorum pertinet, ut ipsi præceptores uirtutis suæ atq; diligentiæ, summos magistratus testes habeant. Nam si ab optimis quibusq; ignorētur

rentur, nec unquam in eorum sermonem ueniāt: silentio uitam omnem obscurè transigentes, magnitudinem animi sui atq; diligentiam inflectunt. Non possum non honestissimis uerbis prosequi et amare Italicos magistratus, qui illud etiam sibi ipsis laudi ducunt, in gratiam atq; honorem præceptori uel declamanti adesse, uel ordienti munus suum. Laudatur iure optimo Alexander Seuerus Romanorum Imperator, quòd ad Athenæum audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum uel poëtarum causa, frequenter processit. Nam ut uates Lyricus cecinit.

Paululum sepultæ distat inertiæ cælata uirtus.

Et Maximo Peripateticorū ὀλιγορίας τὸ μὴ αἰσθάνεσθαι σημεῖον, id est, Contemptionis signum est, non sentire. Sicut enim non parua est honoris portio, clarissimos uel eruditionis suæ, uel certè diligentiæ testes habere: ita nullos habere aut uiles, nonnihil de honore perfectaq; ac solida illa gloria detrahit. Si enim gloria solida ea est, consentiens laus bonorū, incorrupta uox bene iudicantium de excellente uirtute: Certè aut nulla hominum uox, aut non rectè iudicantium, de eius præstātia, qui publico munere pulchrè ac præclarè fungitur, & obscuritatis uirtutisq; neglectæ signum est, & animum cupidum in officio remissiorem efficit. Quod etiam Ciceroni, cū

roni, cum præfectus annonæ Siliciam sortitus ef=
fet, fertur accidisse. Cum enim in Campania ui=
ro cuidam claro ac sibi beneuolo obuiam factus
esset, eumq́; rogasset, quæ ratio Rhomæ de rebꝰ
à se gestis haberetur, quidue ciues sui de se senti=
rent, ueluti qui factorum suorum fama totam
urbem impleuisset. Atq; is rogaret, ubinam hoc
tempus Cicero egisset. Perterrefactus ille quod
in urbem tanquam in uastum pelagus, sermo re
rum à se gestarum ingressus, nihil ad splendorē
nominis sui attulisset, à cupiditate honoris atq;
gloriæ repressus, penè à republica recessit. Re=
ctène igitur nostri magistratus faciunt atq; ex e=
molumento reipublicæ ipsi uiderint. Non modo
nunquam studijs præceptorū testes adsunt aut iu
dices, plerosq; in humanitatem et disciplinas hoc
studio atq; animo reperias (adeo in hac ciuitate
peregrinātur) ut quibꝰ in regionibꝰ gymnasia
Cracouiæ sit planè ignorēt, idq́; nō obscurè duris
simo ore propalam fateantur. Et tamen audēt
uel iudicare de re ignota, uel probris atq; con =
uitijs incessere. Postremo præceptorū honos in
hoc est, ne omninò ab honoribus magistratibusq́;
ciuilibus, quo ad eorum uitæ qualitas fert arce=
antur, his præsertim quibus neq; honestè satis,
neq; commodè sine doctrinarum præsidio, per=
fungimur. Factitarumt hoc retro principes &
impe

imperatores Romani, Iulianus Themistium phi
losophum ὑπαρχον ἐποίησεν, Adrianus quan=
uis esset in reprehendendis, Musicis, Tragicis,
Comicis, Grammaticis, Rhetoribus, Oratori=
busq́; facilis, tamen omnes præceptores & ho=
norauit & ditauit, Maximè uerò omnium iure=
consultos, quos, cum iudicaret, in consilio habuit
nō amicos suos aut comites solum, & præcipuè
Iuliū Celsum, Saluium Iulianum, Neracium pri=
scū. Antoninus Pius, Vindio uero, Saluio ualen=
te, Vlpiano Marcello, & Iabolēo Iureconsultis,
consiliarijs usus est. M. Antoninus philosophus
tantum honoris magistris suis detulit, ut imagi=
nes eorum aureas in ærario haberet, ac sepul=
chra aditu, ostijs, floribus semper ornaret, &
quos non posset ob qualitatem uitæ reipublicæ
præponere, locupletatos tenebat. Verus item
multos secum disertos atq; eruditos uiros habu
it. Alexander etiam Seuerus Paulum & Vlpia=
num summo in honore habuit, quorum alterum
Vlpianum scilicet & consiliarij & magistri scri
nij titulo & honore decorauit: Assessoribusq́;
mercedes instituit, quamuis sæpe diceret, eos esse
promouendos ad honores qui per se rempubli=
cam possent gerere non per assessores, addens
militares habere suas administrationes habere li
teratos. Fecerunt item hoc alij quos nunc singil
latim

tatim recensere longum esset, proinde quicunque rempublicam diu saluam incolumemque esse uelit (ut omnes uelle debent) inprimis à ciuilibus ac prophanis muneribus literatos homines non arceat, habito tamen præcipuè generis atque nobilitatis respectu, si utraque in unum concurrant. Deinde atque omnium maximè efficiat, ut ad sacros seu ecclesiæ honores ac ordines, nullo habito neque solius generis, neque nobilitatis respectu, passim omnibus qui modo uirtutis ac eruditionis studio uerò contendunt, liber aditus pateat. Quanquam enim honoris cuiusque augmentum, non ambitione, non fautoribus, non maiorum imaginibus, sed labore, uirtute, atque eruditione ad unumquemque conuenit deuenire, tamen nusquam minor ratio externorum & corporis, maior uerò animi bonorum, habenda est, quam in illis ipsis honoribus conferendis quibus Christo pauperi & humili, apostolis egenis, mundique huius quisquilijs succeditur. Equidem non negarim maiorem haberi debere rationem nobilitatis, ubi cum uirtute ac eruditiõe coniuncta est, quàm uirtutis ac eruditionis solius. Nam & ebur auro & aurum gemmis ornantur, ut maiore sint in precio: sed eo solo nomine, quòd summo loco natus est, quòd maiorum suorum imagines recenset, quibus maximas turpitudinis ac inscitiæ tenebras plerunque offu-

offundit, quenquam uel commendari & probari, uel quòd sine hijs sua ipsius & uirtute & eruditione clarus est & illustris rursus reijci ab honore, certè ea & abhorrent à Christiana philosophia, qua debent, qui nobis istas tam æquas leges posuerunt prælucere: & cum sacris canonibus, quibus nos ceu propugnaculis, census nostrorum sacerdotiorum tuemur planè ex Diametro pugnant, qui nobilitatis rationem haberi in conferendis quidem sacerdotijs prohibent, in monachatu penitus obliterãt atque tollunt. Solamque & ætatis maturitatem & morum grauitatem, & literarum scientiam in omni sacerdote requirunt. At dices, temporis ratione haberi oportere, expedit reipublicæ Christianæ hoc tam turbulẽto tempore, solos nobiles ad sacros honores assumi, qui & authoritate generis, & amicorum potentia, & opibus & longo illo ordine famulorum, libertatem ecclesiæ diminutã, honorem sui ordinis, integritatem censuum, possent tueri. Quod equidem tibi facilè concesserim, ni sacri huius ordinis authoritatem, dignitatem, census annuos, ijsdem ipsis armis quibus ab initio hæc parta sunt facilius tueri posse existimem, nimirum pietate in Christum eiusque religionem, liberalitate in omnes, maximè in domesticos fidei, mansuetudine, continentia, modestia,

Q patientia

patientia, contemptione luxus, rerumq; humanarum, atq; sacrarum literarum iugi studio, utq; simus exemplaria gregis non quasi dominium exercentes in clerum. Talibus enim studijs uestri maiores & authoritatem, & opes, & omnium ferè amorem sibi pepererunt, quorum sanè uirtutem, si & uos omni studio imitari, effingere, totoq; pectore exprimere contendetis, dignitati uestræ firmißimum propugnaculum extruetis, Sin uirtute atq; eruditione relicta, fumosas saltem maiorum imagines iactabitis, perinde ridiculè facere uidebimini, atq; pueri qui parentum suorum pileos & calciamenta sibi aptant. Malè igitur de republica merentur, qui in honoribus tribuendis amicitiæ atq; nobilitati quàm uirtuti & eruditioni plus tribuunt. Melius Africanus à quo cum quidam uetus assectator ex numero amicorum non impetraret, ut se præfectũ in Africam duceret, & id ferret molestè. Noli (inquit) mirari si tu à me hoc non impetras: ego iam pridem ab eo cui meam existimationem charam fore arbitror, peto ut mecum præfectus ꝓficiscatur, & adhuc impetrare non possum. Melius etiam nostri maiores seu legibus municipalibus cauerunt, seu præclara consuetudine atq; consensu receperunt, neminem ad sacras dignitates quas Prælaturas uocant adsciri, nisi illi sedula

dula diligentia in literis, ac certo progressu insignia magisterij meruerit. Optimè omnium populus Romanus faciebat, qui honorem homini non generi, moribus non maioribus, uirtuti perfectæ non auditæ nobilitati, deferebat. Docuimus quidem hactenus labores præceptorum merito honore leuari, atq; effici, ut uelint in officio suo non grauatè contineri, ut uerò muneri suo atq; expectationi de se conceptæ, possint prout debent respondere, iustam mercedem causam esse, dicendum deinceps est.

QVOD PRAECEPTORES DISCIPLINARUM, neq; uolunt quadam alacritate animi, neq; possũt officio suo satisfacere, aut nulla, aut nõ satis digna mercede ꝓposita, & qualis ea ysdem ipsis præceptoribꝰ debeatur.

CAPVT IX

Solon grauißimus & sapientißimus Atheniensium legislator, rempublicam duabus rebus contineri dixit, pœna & præmio, scitè equidem

dem & uerè. Vt enim improbi pœnâ continen- tur, ne furtis, homicidijs, rapinis, fraudibus, ac cæteris omnis generis malis artibus, rempublicam turbent & uexent: ita bonos ac fortes uiros, alacres, expeditos, promptosq́; reddit spes præmij, ut excusso turpi ueterno, pro se quisq; ad reipublicæ munera fortiter obeunda animetur. Neq; enim satis id esse putauerim honore quenquam affici, ut uelit quæ debeat, at digna præmia mercedesq́; labori debitas subducere, laudariq; probitatem, sed algere: Melius iurisconsultus Vlpianus, qui augendam esse utilitatem per dignitatem censuit. Quanq̃ enim plurimum honor facit ad cuiusq; indolem & uires excitandas, tamen in præmio honesto iustaq́; mercede, haud leue momentum inest, ut uelis alacrius quod debes. Vidit hoc Lysander Lacedæmonius, &, ut erat & prudens & cautus, multò ante animo suo prospexit, cum rogaret Persarum regem Cyrum fœderatum Lacedæmonijs contra Athenienses, ut ultra stipendium consuetum unicuiq; nautæ obolum adijceret: sic enim Atheniensium animos sperabat fractum iri, Neq; spe frustratus est. Cum enim Cyrus annuisset, fuissetq́; inde stipendium obolorum quatuor, cum antea trium esset: insuperq́; æs militare alienũ bona fide omne persoluisset, ac stipendium menstruum ante

tempus

tempus numerasset, adeo exercitum instruxit, ac militum animos erexit, ad pericula quæuis militariaq́; facinora prompte alacriterq́; obeunda, ut Athenienses fracti animo & uiribus, legatos ad Cyrum mitterent. Neq; enim quisquã est qui uirtutem amplectatur ipsam præmia si tollas, Ac ut ait Epigrammatum scriptor

In steriles campos nolunt ferre iuga iuuẽci.
Pingue solum lassat, at iuuat ipse labor.

Mania, uxor Zenes Dardani Satrapæ Aeolidis, mortuo sibi uiro, nõ minore tamẽ uirtute quàm suus uir, prudentia certè maiore, Satrapiam à Pharnabaso traditam administrasse fertur. Nam ex ciuitatibus maritimis detrectantibus imperium, Laryssam, Hamaxitum, & Colonas subiugauit. Græco enim atq; peregrino exercitu muros adorta, ipsa in curru spectatrix aderat, & si quẽ dignum quid agere uidisset, oneratum donis laudabat, itaq; egregium instruxit exercitum spe mercedis: quæ proposita quantum uirium animis militum impressit, tantum sublata ademisset. Propterea & graues agricolarum labores, & feruidos illos æstus solis releuat ac æquiore animo ferre iubet, terra producens reddensq́; cũ fœnore quod accepit. Illaq́; ipsa spes qua securi, ut grauiter canit poëta

Frigoribus parto agricolæ plerunq; fruuntur

Q 3 Mutuaq́;

Mutuaq; inter se læti conuiuia curant
Hominum animos & corpora indurat atq; firmat, ut omne genus rusticorum operum facilè ferant. Neq; unquam mercator tantum periculi sponte subiret, neq; tot ac tam uarijs fluctibus uitam salutemq; suam obijceret.

Per mare pauperiē fugiēs per saxa per ignes nī sibi opes Indicas aut Arabicas mercedis loco proponeret. Quàm sapienter apud Maronem pius Aeneas tristes socios, iamq; ferè pertæsos errorum & laboris, sciteq; consolatur, spe amplißimorum præmiorum & regni & quietis

O socij (neq; enim ignari sumus ante malorū)
O paßi grauiora, dabit Deus his quoq; finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penitusq; sonantes
Accestis scopulos, uos & Cyclopea saxa
Experti, reuocate animos, mœstumq; timorē
Mittite: forsā & hæc olim meminisse iuuabit.
Per uarios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
Durate & uosmet rebus seruate secundis

Vides mœrentia pectora sociorum atq; laboribus exhausta, promisso & sperato Latio, sedibus regni quietis, adeo demulceri ac sedari, ut lætioribus deinceps animis post longos illos flexus & ambages Africum litus attigerint, atq; Scyllas & Charibdes, totamq; penè maris inferi tempestatem pertulerint. Si igitur & respublicæ præmio continentur, & militum animi mercede excitantur, si deniq; Agricolæ, mercatores, exules, aduersa quæuis & labores leuius & libentius ferunt: Et præceptorum certè uoluntas promptior fit, & alacriores animi ad lucubrationes illas suas, & uigilias fortiter perferendas, si iustam mercedem proponas. Neq; enim eruditorum labor, præsertim præceptorum alio quouis labore leuior est, ut qui (consensu omnium medicorum) & ualetudinem uehementer perturbat, & graues excitat morbos, & uires deminuit, & senectam ante tempus accelerat: Neq; ulla merces (authore Fabio) iustior est quàm ex officio præceptoris. Itaq; non admodum mireris præceptores nolle, quod fortasse debeant, & munus ipsorum postulare uideatur, nulla aut exigua mercede, Neq; enim si maximè uelint possent facultatibus destituti. Nā ut est apud Lyricum uatem

Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quiduis & facere & pati
Virtutisq; uiam deserit arduæ.

Atq; ut omittam quanta librorum supellectile & copia præceptorem instructum esse oportet, quanq; nullis unquam sumptibus parcere, in ueterum uoluminibus nouisq; coēmendis, ociū certè

tē ac quietum tranquillumq́; uiuendi genus ſolu
tū externis curis ad præceptoris munus perne=
ceſſarium eſſe puto. Neq; enim magis liberales
dicuntur diſciplinæ, quòd dignæ ſolis liberis ho=
minibus à ſeruili conditione abhorrēt, quàm qd̓
libera ingenia, omnibusq́; penè ſolicitudinū cu=
ris, præter eas quas ipſe artes ſecum adferunt,
uacua atq; ſoluta requirunt, Et quæ fructu al=
tæ quietis, ueriq; ocij ſine ulla perturbatione,
participent. Atqui ubi nulla honeſta mercede
præceptoribus proſpexeris, fit ut penuria & di=
ficultatæ rerum neceſſariarnm, honeſtas eorū
cogitationes in artibus liberalibus interturbes,
ac ingenij uim mentisq́; aciem, longa malorum
pacientia obtūdas. Verū illud poete Sulmonenſis

Ingenium mala ſæpe mouēt. Et alibi.
Carmina proueniunt animo deducta ſereno
Nubila ſūt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſū ſcribentis & ocia quærūt
Me mare, me uēti, me fera iactat byems
Carminib⁹ met⁹ ōnis abeſt, ego pdit⁹ enſem
Hæſurum iugulo iam puto, iamq́; meo

Et item alio in loco ad amicum monentem ut e=
xilium carminibus ſcribendis oblectet, canit his
uerſibus

Scribis ut oblectē ſtudio lachrymabile tēp⁹
Ne pereant turpi tempora noſtra ſitu.

Diffi=

Difficile ē qd̓ amice mones, qa carmīa lætū
Sunt opus, & pacē mentis habere uolūt.

Atq; quod poeta in carminibus ſcribendis acci=
diſſe ſibi dicit, ut relegationis poena anxius ac
perpetuo mœroris timorisq́; exitio impeditus.
ſuaq́; illa facilitate naturali in texendis carmi=
nibus deſtitutus, minus iam poſſit quod uelit, idē
tu præceptori bonarum artium uſu uenire puta
to, qui animum diſtractum curis rerū inopia, ad
diſciplinas pro munere ſuo pertractandas, ad=
fert, dum ab arcanis naturæ inueſtigandis, à ſā=
ctiſſimis philoſophiæ inſtitutis, à contemplandis
ſyderibus, ab artium, legum, ac medicinæ ſtudijs
cura uictus & ueſtitus tanquam ſubito tēpeſta=
tis æſtu auellitur inuitus atq; abſtrahitur. Et ne=
ſcio an quiſquam alius iuſtiore amplioreq́; mer
cede dignus eſſe uideri poſſit illis ipſis hominibus
qui in diſciplinis profitendis, inq́; iuuentute eru=
dienda omne ſuum ſtudium, omnemq́; curam po
nūt. Etenim ſi ſordidæ iſtæ artes & uiles ſæpe=
numero artifices ſuos uoti compotes efficiunt,
& ad eas facultates opesq́; prouehunt, quibus
non ſolum ſeipſos, uerum uxores quoq; ſuas ac
liberos, familiam deniq; omnem, non alunt modo
ſed ornant ſumptuoſius: quæ, malum, tandem in
uidia eſt, præceptores bonarum literarum, qui ā=
pla patrimonia in honeſtiſſimum ſtudium litera=

rum ad maximum reipublicæ & ornamentum & emolumentum effuderunt, iusta mercede adeo defraudari, ut ægrè seipsos, unumq; solum uilem seruulum tolerent: tantum abest, ut possint munere profitendi benè fungi. Iam uerò maximos illos labores præceptorum ac plenos periculorū maioribus etiam rerum subsidijs egere, uel illud certissimo argumento est, quòd bonarum literarum studiosi, quamuis temperatissimam uiuendi rationem sectentur atq; obseruent, tamen uarijs sæpenumero morborū generibus obnoxij, haud temerè ad præfinitam naturæ periodum uiuendo perueniunt. Et ni omniū rerum copia, affluentia, & honestæ uoluptatis dulcedine, dubiæ ualetudinis uires reparent, spiritusq; sæpenumero reficiant, facilè grauissimo oneri profitendi succumbunt. Quantum enim lucubrationibus & crebris uigilijs, immodico labore arcana disciplinarum inuestigandi, bona ualetudo, ex qua ingenij uis est, conuellitur, debilitatur, infringitur: tantum rursus reficitur, restituitur, reparatur, ubi uel saltem uacationū diebus, aut salubrioribus domi te atq; lautioribus cibis reficias, aut dulcissima amicorum conuiuia ineas, aut colligendi tui causa in umbram opaci ruris secedas. Scitè equidem Pythagorici animos suos altioribus disciplinarum cogitationibus

nibus

fractos pulsatis fidibus & cantu excitare atq; delinire soliti sunt, ut labore ac uoluptate amica, uicissitudine coniunctis, tenacius nec inuiti in officio continerentur, arduumq; philosophiæ iter superarent. Nam

Quod caret alterna requie durabile nō est
Hæc reparat uires fessaq; mēbra nouat

Hinc Ouidius ad lectorem de suis carminibus

Quo magis his debes ignoscere cādide lec=
Si spe sint, ut sunt, inferiora tua. (tor
Non hæc ī nostris ut quōdā scribimus hortis
Nec consuete meū lectule corpus habes.

Ac ueluti equos & magna uiarum spacia & ardua itinera conficientes, largiore pabulo diuturnioreq; cessatione reficimus ut alacriores currant, ita & præceptorum graues labores, qui corporis & animi uires deijciunt, pleniore ocij beneficio, maiore amoenitatis fructu, spe amplioris præmij, facultate uberioris honestiorisq; mercedis, compensandi releuandiq; sunt, uiresq; maioribus inuitamentis renouandæ atq; reuocādæ, ne fortè in medio cursu deficiant. Propterea q; Cicero parens eloquentiæ & philosophiæ latinæ, aliquid grauius compositurus, syluarum secessus aut amœna ruris petebat. Ac eius subtiles illas quæstiones philosophicosq; tractatus. De finibus bonorū & malorum, De Natura Deorū

De

De ſato. De officijs, aut ocio Tuſculani ruris, a-
ut Arpinatis ſundi debemus. Ibi enim uir ſumus
à grauiſſimis reipublicæ muneribus, à fori ſtre-
pitu cauſarumq́;, in philoſophia latinis literis il-
luſtranda, inq́; contemplandis altioribus diſcipli-
nis, ueluti in optato portu conquieſcebat. Et ni-
ſi Tullius rerum facultatumq́; tanta copia, &
commoditate locorum idonea ornatus & adiu-
tus eſſet, profectò, aut nulla nunc uiri monimen-
ta, aut non adeo polita admirandaq́; extarent.
Neq; præclaris illis Ariſtotellis libris de Hiſto-
ria animalium frui nobis unquam fortaſſe licuiſ-
ſet, ni magnus Alexander ad naturas animaliũ
inueſtigandas, hoc eſt ad opus cõponendũ, octo-
ginta talenta tradidiſſet. Neq; parum (ut qui-
dem mea fert opinio) ornamenti atq; ſubſidij ad
lucubrationes inuentaq́; ſua idem ipſe Ariſtote-
les attulit, pauculis illis Pſeuſippi philoſophi li-
bris quos poſt mortem eius talentis Atticis tri-
bus emit, hoc eſt duobus & ſeptuaginta mili-
bus: ea ſumma eſt nummi noſtri propè tria mi-
lia aureorum. Non enim putandũ eſt Ariſtotelẽ
ſuis tantum uiribus gloriam ſibi nomenq́; æter-
num in philoſophia peperiſſe, ac non potiùs ali-
orum quoq; philoſophorum inuentis qui ſe an-
teceſſerũt, diues illud philoſophiæ ſuæ penu au-
xiſſe. Neq; diuini Platonis Philoſophiam, inuen-
tis

tis Pythagoricis adeo illuſtratam uideremus, niſ
amicus Dion Syracuſanus tres Philolai Pytha-
gorici libros decem millibus denariũm emptos
Platoni exhibuiſſet. ut erat is philoſophus tenui
admodum pecunia familiari. Atqui uerò (ut
quidẽ ego, ſi uſus magiſter eſt optimus, utrũq;
iam expertus exiſtimo) cum non minus ineſt la-
boris in ſcribendo quod occultari nolis, quàm in
profitendis artibus cum aliquo guſtu laudis &
honoris, par ſanè eſt ut iiſdem commoditatibus
& facultatibus præceptores quibus ipſos ſcrip-
tores cumulemus, ut quod uelint poſſint. Nam
ſi iureconſultis credimus. Quæ incommodè poſ-
ſumus dicimur non poſſe. Videamus itaq; qualis
& quanta merces apud ueteres tum Græcos tũ
Latinos, eruditioni fuerit et eſt hactenus, quodq́;
noſtrorum hominum ſtudia ad Græcorũ & La-
tinorum inſtituta, atq; mores, quantum fert na-
tura regionis, & regni Polonici facultas & o-
pes, ueluti ad quandam regulam & amuſſim e-
xigi debent & traduci. Præclarè enim in hoc e-
tiam Græcia ut in cæteris ferè omnibus ſe geſſit.
Quanquã enim ab initio, aut perexigua aut nul-
la mercede doceretur, Nam fama eſt grammati-
cum quempiam Phemium, lanam pro mercede
docendi Smyrnæ accepiſſe, & Socratẽ contentũ
muneribus quæ ſponte offerebantur, nullas mer-
cedes

cedes a discipulis exegisse, Aristippus tamen primus Socraticorum, mercedem exegit, & quæstu philosophatus est, & præceptori Socrati pecunias mittebat. Cui cum quidam filium commendasset, quingentas drachmas postulauit, isq; mercedis magnitudine commotus diceret se tanti posse emere mancipiũ, Eme (inquit Aristippus) & habebis duo & seruum & filium. Post eum Isocrates dulcis Rhetor mille drachmis artem dicendi docebat. Ad quem cum Demosthenes accessisset, ac diceret se mille drachmas non posse numerare, ducentas uerò daturum, pro quibus quintam Rhetorices partem addisceret, sic ferunt respondisse. De hac re non contendemus mi Demosthenes, quo autem modo pisces bonos totos uendimus sic & ego si discere uelis, totã artem tibi tradam. Tantum autem diuitiarum si Dionysio Halicarnasco credimus ex arte dicendi quantum nemo ex philosophia, Isocrates adeptus est. Pythodorum item Isolochi, & Calliam Calliadæ filios (Plato in Alcibiade testatur) propter studium sapientie centum minas Xenoni, mercedis loco tradidisse. Et (Catullo authore in Lucullo Ciceronis) mina certa Dialecticorum merces erat. Sic prisca illa ætas sine iusta mercede præceptores esse noluit. Ac maximè õnium seculum Alexandri Magni, ea uirtutis laude

de præstitit, Is siquidem poetas, philosophos, atq; artium ferè omnium Doctores, non solum debitis honoribus, ut superius diximus, honestãdos uerum amplis etiam muneribus opumq; splendore ornandos, honestissimum sibi uereq; regiũ esse duxit. Proinde cum aliquot ãnis post Archestratus uenustus admodum poeta, in multa inopia, nominisq; obscuritate senesceret, ad eum quidã dixisse fertur, At si tempore Alexandri fuisses in singulos ille tibi uersus Cyprum aut Phoenicem daret. Neq; enim ille rex quenquam eruditorum indonatum ab se dimisit. Hæleo Pyrrhoni primum sibi obuio, decem milia aureorum dedit. Xenocrati Platonis familiari, quinquaginta talenta dono misit, isq; quum non accepisset quòd diceret se illis non indigere, percontatus est, an ne amicum quidem Xenocrates haberet. Nam mihi, inquit, Darij diuitiæ uix satis in amicos fuere. Anaxarcho philosopho procuratorem iussit quantum peteret dare, cumq; is talenta centum Anaxarchum petere dixisset, benè ĩquit, facit scit se amicum habere qui tot elargiri & possit & uelit. Tantum erat in Alexandro amoris in omnes eruditos. Neq; Sylla cognomento Fœlix ab hoc ipso amore penitus abhorruit, qui sedulitatẽ mali poetæ (ut est apud Ciceronẽ) qui ei libellũ Epigrammatum in se scriptum, de populo in concione

tione subiecit, duxerit aliquo tamen præmio dignam, dum ex his rebus quas tunc uendebat, iuberet ei præmium tribui sub ea cōditione, ne qđ postea scriberet. Quid enim illis facturum fuisse censes, quorum eruditionem & uersuum elegantiam probasset? Cum etiā inter maximas fœlicitatum suarum illud alterum posuerit, quòd Athenas ingeniorum altrices non euertisset. Octauius item Cæsar, qui primus Augusti cognomē adeptus est, summis muneribus cum philosophos tum poetas affecit, ac præcipuè principes: quēq; in genere suo, Vergilium & Horatium. Quorū alter panes ciuiles meruit, qui nō admodū à militia ueterum & officijs quæ nunc Romæ in aula Pontificia emuntur differentes, nunc annonæ ciuiles, nunc salaria in diuersis speciebus de publico ministrata dicuntur iure nostro. Namq; (ut canit poeta Ouidius)

Cura ducū fuerāt olim regumq; poetæ,
Præmiaq; ātiqui magna tulere chori,
Sāctaq; maiestas & erat uenerabile nomē,
Vatibus & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in mōtibus hortos
Cōtiguos penè Scipio magne tuis.
Nunc edere sine honore iacēt, operataq; donis
Cura nihil Musis, nomen inertis habet.

Legimus apud Pomponium Iurisconsultū, Massurium

surium Sabinum quòd tenues facultates haberet ab auditoribus suis sustentatū fuisse. Debent enī, authore Papiniano, Magistro suo gratiam discipuli non uerbis tantum, sed & rebus ipsis, exēplo Aquilij Reguli, qui Nicostrato præceptori quòd se eloquentia sua & diligentia meliorem reddidit, usum habitationis donauit. Sed has mercedes, quòd aut pacto præceptorum atq; conuētione fiunt, aut principum priuata liberalitate proueniunt missas faciamus, atq; eas duntaxat tractemus, quæ authoritate magistratus seu prīcipū publicè præceptoribus cōstituūtur atq; debētur. Primus igitur Vespasianus imperaotr è fisco Latinis Græcisq; rhetoribus, annua centena uidelicet sestertia constituit, quæ sūma ad bis mille et quingentos aureos nostratis nummi extenditur. Diuus item. M. Antoninus, authore Luciano in Eunucho, singulis philosophorū cuiusq; sectæ primoribus μύριας δραχμὰς cēsus annui, idest, decies mille nummum consignauit, quæ sūma est nostratis monetæ mille aurei: Eademq; merces aut certè āplior pro dignitate atq; eruditione cuiusq; aliquot retro seculis propter motus bellicos atq; clades intermissa, rursus cum castioribus humanitatis studijs in Italiā uelut postliminio redijt, Iasonis primū Iuriscōsulti & præceptoris opera: qui primus millenos

àLudouico Sfortia,deinde à Frãcorum rege e=
xegit. Quem numerum iuniores Ruinus,Deci=
us,Alciatusq; præceptor meus,poſtea exceſſerũt
En quã honeſta mercede Itali,præceptores ſuos
& ſouent,& in officio retinent,quàm acribus
ſanè ſtimulis præmiorum excitant atq; urgent
animos docentium. Rara eſt perfecta uirtus ad
ſummumq; perducta eruditio: Haud paſſim, ne
quid erres, in illa etiam tanta ſcholarum fre=
quentia,tantoq; reſpectu bonarũ literarũ, uir=
tutem eruditionemq; ſuis numeris abſolutã, re=
perias: uerum reperta uehementer laudatur,
expetitur,ambitur,non alget ut apud nos, uti,
& quidem ſcitè,cecinit Ouidius

Carmina laudãtur ſed numera magna petũtur
Dũmodo ſit diues barbarus,ille placet.
Aurea ſunt uerè nũc ſecula plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Ipſe licet uenias Muſis comitatus Homere
Si nihil attuleris ibis Homere foras.

Atq; equidem uereor ne ſi Italicas mercedes cũ
noſtris cõparemus, cæteræ nationes quæ in tã=
tum honorem ſtudia literarum prouexerũt,oc=
caſionem arripiant,aliquid Sarmaticũ de nobis
cogitandi. Quid enim p Deum immortalẽ tur=
pius eſſe poteſt? quid Sarmaticum magis? quàm
unius præceptoris in Italia mercedẽ mille au=
reos

reos excedere,apud nos uniuerſorum quadra=
ginta præceptorum(tot enim ferè ordinarij ha=
bentur Cracouiæ in tribus Gymnaſijs)collectam
mercedem longè ab aureis mille abeſſe. Sub=
duc rationem ſi uoles. ſummi quiq; præceptores
atq; emeriti,uix triginta aureos excedũt, medij
duodecim aut ſedecim,extremi ſex aut ſeptem.
Et quod omnem humanitatis ſenſum excedit,a=
deo tenui præmio, triplex tamen onus ſinguli
ſuſtinent præceptores. Primum pẽſũ precularũ
abſoluunt. Deinde faciendis ſacris obſtricti ſunt,
Aut enim collegam ſacerdotem eſſe oportet, a=
ut quod ſacerdoti det idipſũ de ſuo etiã detra=
hit. Poſtremo & murmurandis preculis,& ſa=
cro faciendo defeſſi, publicè profitentur quod
ſuſceperunt qua poſſunt fœlicitate,inter tot ã=
guſtias: ô cælum ô terra ô maria Neptuni, ô
prudens maiorum conſilium. Et audes impurũ
ac durum os,magiſtrorum noſtrorum ſtudia,&
uituperare & perſequi,& proſcindere conui=
cijs,iudicans de illis quæ nunquam didiciſti, Atq;
miraris quaſi illi non ſatis ſuo ipſorum muneri
reſpondeant. O peruerſa ac præpoſtera hominũ
iudicia: Magis ſapias ſi ſtuperes cur mercede a=
deo perexiguna et tenui, tãtaq; eruditionis ne=
glectione,adhuc tamen aliqua in regionibus no=
ſtris ueſtigia literarum ſuperſint ac cernantur.

Sed dicet quispiam: Si tã exigua ẽ et uilis merces præceptorũ, ut tu dicis, si ea eruditionis & disciplinarum neglectio, cur nõ cõtinuò uniuersi isti tui præceptores, abiecto tã ingrato infructuosoq; munere gymnasium deserunt? Quorũ nomine sic respondeo. Pleriq; enim bona à parentibus suis relicta, aut industria sua quæsita, in studium literarum atq; philosophiæ effuderũt, ut iam non satis integrum sit perdita re alias quæstuosiores conditiones sectari. Aegre itaq; ab illa sua Sparta quam semel nacti sunt ornanda, diuelluntur: Aut quòd in eo solo, ut scirent literas & docerent, omnem suam operam, industriam, ætatem posuerunt, ut ad alias res agendas, non satis se idoneos esse existiment: aut si qui ad quæuis alia non inepti uideãtur, eo tamen sunt ingenio & animo, ut malint quiduis perferre & pati, quàm istam purpuratam seruitutem sustinere, quàm ea uidere & audire in principum aulis quæ iniquo & graui animo uident & audiunt omnes boni, quàm deniq; τὰσ τῶν κρατοῦντων ἀμαθίασ φέρειν. Atq; ita spe meliore alũtur: sperãt enim aliquã do tãdem et huic reipublicæ parti honestius atq; melius prospectum iri. Atq eo nomine laudamus quidem Samuelem Antistitem, quòd honestissimo præmio, ut fert regio Polona, Petrum Roysium Hispanum Maurum Iurisconsultum doctissimum, ac quosdam Italos ornauit. Dedit enim amoris sui in bonas literas significationes non obscuras. Sed quòd de suis Polonis eam spem conceperat, ut naturam nostris ingenijs nouercam esse existimaret, neq; quicquam nostrorum hominum industriam, uel amplioribus præmijs prouocatã, posse melius, laudare certè non possumus. Nam & de suæ gentis honore nonnihil detraxit, & nullũ æmulationis studiũ, ut præ se ferre uisus est, immisit inter suos. quin quorundam animos spe erectos hac ipsa contẽptione penitus deiecerat. Verumtamen clarissima nobis spes refulget, non diutius hoc nostro Præsule Andrea Zebridouio eam quoq; reipublicæ partem sine honore iustoq; præmio fore. Neq; commissurum, qua est in rebus õnibus prudentia, ut Samueli Mateouio cui successit, cæteris propemodum par omnibus, fouendis tamẽ ingenijs liberalitateq; in uiros eruditos, inferior esse uideatur. Et haud scio an ulllam expeditiorem uiam ineat, de mercedibus præceptorũ aliquid statuendi, quàm si statutum illud prouinciale reuocet, factum annis superioribus communi sacri ordinis cõsilio de episcoporum atq; Abbatum ãnuis prouentibus censendis, ita enim & se ipsum sumptu releuabit à pluribus profecta

iecta atq; collata peccunia, & rei literariæ honestè prospiciet, mercedes præceptoribus tribuendo, non æquales ferè & nunc sunt, sed pro cuiusq; eruditione, dignitate ac labore. Nam eo statu gymnasiorum quē nūc Cracouiæ habemus meliores progressus literarum, nisi ego fallor, optandi magis, quàm sperādi sūt.

DE AEMVLA CONTENTIONE PRAECEPTORUM.

CAPVT. X.

Quanquam autem moris est in Italia, binos quosq; præceptores una in lectione committi (concurrere id ipsi uulgò uocāt & præceptores æmulos cōcurrentes) ut ita sedula iugiq; diligentia & frequētiore auditorio dignos se præstent ampliore honore & præmio: Quod tamen mihi non omnino probatur. Nam & geminata mercede ærarium exhauritur, & auditorum animi non tam eruditione atq; diligentia capiuntur, quàm alliciuntur, inescāturq; donis, mutuataq; pecunia seu fœneratitia. Quam rē Horatius grauiter expressit in sua persona his uersibus.

Scire uelis mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametq; domi, premat extra limē iniquus
Nō ego uentosæ plebis suffragia uenor.
Impēsis cœnarum & tritæ munere uestis.
Non ego nobiliū scriptorū auditor & ultor,
Grāmmaticas ambire tribus et pulpita dignor
Hinc illæ lachrymæ.

Vt enim improborum plena ferè sunt ōnia, præceptores indocti doctos, hac ipsa uia superabūt, non modo blandicijs, exhibitisq; domi conuiuijs, sed etiam apertis muneribus, procliues adolescentum animos ignarosq; rerum oppugnando. Nam sicut, iuxta prouerbialem Senarium

Ἅπαντας ἡ παιδεία ἡμέρους ποιεῖ
Humaniores reddit eruditio.

ita ab omni turpitudine abhorret: Atq; ut comis est & blanda cum uirtute coniuncta eruditio, sic in reprehendendis uitijs libera, neq; facilè fert importunas illas ac ineptas auditorum altercationes, quibus, non ut addiscant quod malè intelligunt, sed iactent turpiter & ridiculè ingeniolū, præceptoribus suis obstrepunt. Ea sanè uitia adolescētum, prudentes & docti præceptores, obiurgando, multorum ab se animos abalienant, maluntq; interdum auditorij frequentia inferiores

inferiores uideri, quàm uirtute cedere atq; offi-
cio præceptoris: Indocti contra, et qui ſe doctos
haberi malunt, quàm eſſe reuera, nihil in adole-
ſcentibus non ferunt etiã uitioſi, modo ad ſe eos
quacumq; ratione alliciant & attrahant, utq;
ſe proſequãtur. Vt, meo quidem iudicio, haud p-
petuum ſignũ ſit, boni atq; eruditi nec non dili-
gentis præceptoris, frequens auditorium. Id enĩ
ſæpenumero præceptoribus eruditis accidit quod
præſtantiſſimis ſcriptoribus & athletis, ut à de-
terioribus uincantur. Menander à Philemone,
nequaquam pari ſcriptore in certaminibus co-
mœdiarum ambitu, gratiaq; & factionibus ſæ-
penumero uincebatur: quem cum forté habuiſ-
ſet obuiam, quæſo, inquit, Philemon bona
uenia dic mihi, cum me uincis non erubeſcis?
Euripidem quoq; . M. Varro ait cum quinq; &
ſeptuaginta tragœdias ſcripſerit, in quinq; ſo
lis uiciſſe, cum eum uincerent aliquot poetæ
ignauiſſimi. Archidamo regi Lacedæmoniorum
roganti Thucydidem, uter alteri palæſtra, Pe-
riclés ne an ipſe præſtaret, ita reſpondiſſe ferũt,
ubi ego hominem pugnando deieci, ipſe ſe non
cecidiſſe defendens uincit, intuenteſq; é ſentẽtia
deijcit. Adde æmulatione iſta præceptorum non
tantum adferri commodi ſtudijs literarum, quã-
tum corrumpi ac infici mores adoleſcẽtũ, quo-
rum

rum ratio prior eſſe debet, quàm ſtudiorũ: quòd
mores ſine literis ferè plurimum, literæ abſq;
uirtute nihil proſunt, ſæpe nocent. Teſtes apello
qui Italiam uiderũt, quàm ſit impudens iuuenũ
audacia, quàm corroborata temeritas atq; im-
pudentia, cum præceptoris ſui ſtudio, indigno
homine liberali, quem ſibi nõ iudicium ſed ſors
dedit, nihil non turpiſſimè & dicunt & faciunt
in æmulum: Vnde non modo nullam poenã, ſed
etiam gratiam cumulatam à præceptore ſuo
referunt, quòd ſuum æmulum, quem ſua uirtute
atq; eruditione non potuit, conuitijs, contume-
lijs, clamoribusq; ſuorum, iugulauit. Illa uerò
deridenda & multanda eſt audacia, cuius eadẽ
ipſa æmulatio caput eſt, quòd in ſingulari taliũ
diſputationum certamine, quo quiſq; indoctior ẽ
idemq; clamoſior, hoc doctiorem eumq; mode-
ſtiorem (nam eruditionis certa comes eſt mode-
ſtia) facilius & uincit & proſternit. non cohæ-
rentibus ille quidem telis argumentorũ, ſed ma-
ledictis, cõuitijs, dicacitateq; ſcurrili, quæ, neſcio
quo modo, ἀκούειν ἡδέως (authore Demoſthe-
ne) φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει. id eſt
libenter audire, inſitum õnibus hominibus à na-
tura, præſertĩ iuuenibus atq; diuitibus, qui, quod
ὑπερέχειν οἴονται ὑβρίζοντες ὑβρισταὶ cõ-
uiciatores ſcilicet Ariſtoteli uocantur.

R 5 Acciditq;

Acciditq; in hac æmula contentione præceptorū illud quod Cyrus apud Xenophontē inquit, Vt improbitas proficiscens per subitas uoluptates, harum suasionibus utatur, quo multi secum sentiant, At uirtus ad arduum agens, non sit admodum præpotens, ut subito, incōsultoq; ad se trahat, præsertim ubi alij sunt, qui contra ad decliue, molleq; adhortantur. Atq; hoc insuper adferunt mali, æmulæ istæ cōtētiones præceptorum, quòd ex stultis sæpe insanos efficiunt, ex probis nonnunquam improbos ac mordaces. Nam sicut eorum qui in eodem magistratu sibi succedunt, unusquisq; successoris sui administrationē libenter eleuat, sic ista æmula unius eiusdemq; studij contentio atq; laudis, cupidior contentionis quàm ueritatis, laudat quæ uituperationē, uituperat quæ laudem mereantur, partim insaniam suā prodēs turpiter, partim ex incertis auditoribus incertiores reddens: nec interdum sancto amicitie iuri parcit, Quòd, ut Martialis canit,

Aurū & opes, & rura, frequēs donabit amicis.
Qui uelit ingenio cedere rarus erit.

Quam rem aptissimè mihi uidetur notasse atq; perstrinxisse Lucianus, in dialogo cui Eunucho nomen dedit, ut qui in eo cauillandi ac urbanitatis genere primas ferè partes obtinet. Inducit enim

enim Dioclis & Bagoæ philosophorum peripateticorum turpe certamen: qui periculum eruditionis suæ facturi ostēsuriq; in philosophia quantum possent, iudicibus in hoc delectis quo in locū demortui præceptoris sufficerētur inq; decies mille nummum, census annui ab imperatore constituti: philosophiæ tamen quæstionibus dimissis, ac uerecūdiæ obliti, solida plaustra cōuitijs onusta alter in alterum effuderunt. Iam illud neutiquam ferendum ē, à pugnis uerborum sæpe ad uerbera, ad manus, atq; cædes rem deduci, dum, fœdissimo iuuenum exemplo,

Ingentes parturit ira minas.

Scribit Alciatus, eaq; etiamnum Bononiæ durat fama, Azonem summum interpretem iuris, cū in disputatione ab antisophista quodam suo prouocatus, cultro eum appetijsset, in carcerem ꝓtractum, & capitalis criminis damnatum fuisse, cumq; exclamaret, ad bestias, ad bestias (nempe eius pricipij legē adducēs, qua, ꝓpter artis excellētiā, relaxari sōtibus et nouissima meritis, pœnā allegabat) iudices se ab eo tanquā beluas insimulari credentes, idcirco iratos non destitisse, donec sūmo supplicio afficeretur. Quare ne non solum doctrina sed moribus quoq; honestis, & exemplis iuuētuti prospiciatur, arbitror iustum honorē mercedemq; sufficere, ut præceptores

res in suo officio libenter retineas modo certa spe alantur augēdi præmij ac honoris, ubi se gesserint egregiè, & rursus timore deminuēdi crucientur, si minus suo officio respondeant. Si qui tamen sunt qui istas æmulas contentiones præceptorum, studijs literarum apprime utiles esse existimant, atq; idcirco aut retinendas, aut instituendas contendunt, illis Ouidij uersibus admoniti,

Tūc bene fortis equus reserato carcere currit
Cū quos prætereat quòsue sequatur habet,

Cum his ego non admodum pugnabo, modo omnibus modis caueant, ut ne largitionibus, iuuenumq; moribus corrumpēdis, nō maledictis cōtumelijsq;, non clamoribus & pugnis, at modestia, uirtute, eruditione, docendi debita ratiōe, huiusmodi æmulas contentiones metiantur atq; æstiment, utq; æmulatione quæ in uitio est penitus seclusa, eam solam æmulationem, cuius nomen in laude est, & quæ uirtutis ē imitatio, mirentur, foueant & honoribus atq; mercedibus honestēt. Exposuimus præcepto ris officia, honores ac mercedes, nunc de auditore altera gymnasij parte, breuiter disseramus.

QVA SPE A-
lendus sit auditor.

Caput

CAPVT. XI.

Et quidem, non minus profectò (ut res ipsa loquitur quæ sēper ualet plurimum) auditorum, quàm præceptorum commodis prospici debet: curariq; omnibus modis, ut uoluntates atq; ingenia adolescentum, & prouocentur in scholas præclaraq; studia literarum, & in his diutius teneantur certa spe. Ea siquidem ē præceptorū coniunctio cum auditoribus, quæ animis cum suis corporibus, menti cū animo. frustraq; eruditos præceptores habeas, et dignis honoribus & mercedibus ornatos, ni auditorum præparata copia, in qua suam illi uirtutem atq; industriam exerceant, animos eorū ueluti igne subiecto accensos erexeris, intenderisq;. Nam præterquam quòd sumptus & honores præceptoribus publicè exhibitos iure quodam suo respublica magis tum fœnerari sibi uidetur, cū frequēs iuuentus adest in scholis, tum certè doctissimus quisq; et frequentia gaudet maiore ac theatro, & omnem remittit conatum, languescit, exuit animum, subducta auditorij frequentia. Documēto sūt præceptores accersiti ad nos superioribus annis, doctissimi quidem illi, sed quos auditorum etiam frequentia destitutos, nostris nihilo

lo alacriores uideres, querebātur studiosorū inopiā, mirabātur et horrebāt gymnasiorum nostrorū uastitatē. Spectata enim uirtus atq; solida illa eruditio, haud æquo animo solitudinem fert, Ac ueluti imperatoris uirtus potēs armis militum secessione concidit: Nam

Scit non esse ducis strictos sed militis enses: sic præceptoris boni studium, accensum frequētia, uiduitate extinguitur. Proinde cū nemo nō uideat adolescentum honesta illa frequentia ad mercaturam bonarum literarum confluente, et præceptorum industriam excitari, ad bene præclareq; obeundum munus suum, & respublicas sibi quodammodo fœnerari, suus certè etiam studiosis exhibēdus est honor, sua prestāda merces. certa quadam nec dubia spe alendi sunt, qui in sacrario Musarum uersantur. Atq; si nauiter in bonis literis se gesserint, si cum reipublicæ pfectu, si deniq; spem de se pollicerantur pulcherrimam, posse, cursu studiorum suorum peracto, rempublicam in partibus sibi credendis gubernare, tum necesse est fruantur immunitate maiore ocioq;, & à publicorum munerum functionibus ac oneribus immunes sint. Sic enī magnus adolescentum numerus disciplinæ causa cōcurret. Etenim quemadmodum pictores eum maximè colorem inducunt, quo passim mortales delectantur: sic adolescētes ea magno studio discūt, & consequi cupiunt quæ honore & laude digna esse iudicantur. Unde quòd Druides Gallorū sacerdotes (ut est apud Cæsarem) à bello abesse consueuerunt, neq; tributa una cum reliquis pendunt, militiæ uacationem, omniumq; rerum habent immunitatem, fit ut tantis excitati præmijs & sua sponte multi in disciplinam conueniant, & à propinquis parentibusq; mittātur. Prudenter Diocletianus & Maximianus utilitati publicæ & spei adolescentum prouiderunt cum omnes, qui liberalibus studijs operam dant maximè professioni iuris, lege lata immunes esse iusserūt à muneribus personalibus, ut singuli usque ad uicesimum quintum ætatis suæ annum à studijs nō auocētur. At uerò Augustus maius quiddā atq; præclarius cauit, qui nō modo Mathematicos, Geometras, atq; reliquarum artiū liberalium studiosos, sed illiberales quoq; et sordidos opifices, architectos, pictores, statuarios, marmorarios, lecticarios, quadratarios, quos Græcè pectas appellant, sculptores, muscarios, deauratores, argētarios, barbaricarios, figulos ac eiusdem generis alios, ab iisdē ipsis personalibus muneribus uendicauit. Quòd in discendis artibus (ut i pse ait) ocium sit adcommodandū, quò magis cupiant peritiores fieri et suos filios erudire

erudire. Noua item constitutione imperatoris
Friderici libertati studiosorum atq; securitati
optimè & singulari quadam ratione prospectū
est, quando dāna data scholasticis, iniuriæq; atq;
alienæ iurisditionis molestia, et pœna quadrupli,
& infamiæ nota, & causæ seu rei iactura, plec=
tuntur. Dignum namq; optimo imperatori ui=
sum est, singulari quodam amoris respectu eos
ab iniuria defendere ac tueri, quorum sciētia to=
tus illuminatur mundus, & ad obediendū Deo,
eiusdemq; ministris magistratibus, uita subiecto=
rum informatur. Quis enim (inquit idem) eorum
non misereatur, qui amore scientiæ exules facti,
de diuitibus pauperes, semetipsos exinaniūt, uitā
suam periculis multis exponunt, & à uilissimis
sæpe hominibus (quod grauiter ferendum est)
atroces iniurias sine causa perferunt? Om=
nium autem optimè ac diligentissimè, Italicæ ci=
uitates, bonas literas etiam nunc & prosequū=
tur, & fouēt. Nec enim solum à munerum per=
sonalium functione liberi sunt, studiosorum gre=
ges uerum & canonis pensitatione, obaltionis
indictionisq; onere releuati, omni propemodum
munere patrimoniali soluti sunt. Addo illud eti=
am, non modicam esse in Italia rationem erudi=
tionis, in legendis cooptandisq; magistratibus et
sacris et prophanis. Homines literati ad eos ho-
nores

nores ad summi plerumq; solent, qui non possūt
sine legum atq; literarum possessione expediri.
Doctissimus quisq; precipuo in honore ibi est &
habetur. Grandes sportulas & iusta honoraria
iureconsulti auferunt. Maximis oneratur præ=
mijs, medica professio, nulli neq; oratores egent
nec mathematici, nec philosophi: nulli, dēt mo=
do certa doctrinæ documenta, neq; honoribus,
neq; mercedibus suis fraudantur. In quouis ho=
mine uel ipsum eruditionis nomen diligitur. Ex
gymnasijs ceu ex certa & spectata quadā offi=
cina & uirtutis & eruditionis, in omnes ordi=
num omnium honores iuuenes peti solent, eaq;
est non dubia regula, quenq; satis idoneū uideri,
si complures annos in studio bonarum literarū,
in philosophia, in legibus compleuerit, & qui
plus olei, quàm uini cousumpserit. Vt minimè
mirum cuiquam uideri debeat, tantam illic esse
gymnasiorum frequentiam, ubi in tanto honore
literæ sunt, tantamq; adolescentum uim & co=
piam ad illud nobile bonarum literarum empo=
rium confluere, ubi honesta literarū merces est
& qui student habentur in precio: Hic uerò in
regno Polonico adeo lōgè lateq; diffuso, uix duo
gymnasiola cerni, eaq; ipsa inusitata adolescen=
tum inopia atq; solitudine horrere, ubi quiduis
aliud quàm bonæ literæ & honestius est, et quæ=

studiosius

stuosius. Honos enim (ut est apud. M. Tullium & priorem eo Platonem) alit artes, õnesq; incẽduntur ad studia gloria, iacentq; ea semper, quæ apud quosq; improbantur. Et quotus quisq; est qui amplectatur uirtutem si præmia uirtuti sustuleris. Videmus augustas domos regum & procerum, ut honestissima iuuenum nobiliũ corona frequentantur atq; splendent, ut refertæ sunt ac feruẽt, Huc totus Poloniæ flos aut sponte sua cõcurrit, aut à propinquis mittitur. Quid ita? Quia hinc omnes, ceu ex perenni fõte & opes hauriunt & honores, quibus in altiorem dignitatis gradum, & se, & suos propinquos tollant & ornent familiam. Natura uerò omnibus insitum est ea declinare atq; fugere quæ nocẽt, quæ uerò emolumento & ornamento sunt cõsectari ac petere.

Aspicis ut ueniant ad candida tecta colũbæ
Accipiat nullas sordida turris aues.

Atq; adeo tam est corrupta uulgi natura deprauataq; iuuenum consuetudo, ut ueræ laudis gustum non habeant. Nemo castissima musarum sacraria uix uisa & quasi per trausennam inspecta, non libentissime deserit. quò d situ obducta & squallore, nihil sibi fortunisq; melius splẽdidiusq; uideat polliceri: ac non potius totum in castra aulicæ militiæ se immergit, quòd hæc cul-

toribus suis & amplos honores promittunt, & non mediocres opes ostentant, & spem certam ocij cum dignitate. Apud maiores quidẽ nostros assumebãtur ad honores & prophanos & sacros, q Mineruã religiosè colerẽt, qui psisterẽt in literis plures ãnos, q maiorẽ ætatis suæ partẽ cũ philosophis eruditisq; uiris exegissẽt. Nũc uerò aut ex culina (dicendũ enim est liberè) aut cella quapiam uinaria penuariáue, aut certè ab equis, à poculis ac patinis eiusmodi homines, ad distributos gradus honorum accersũtur, sacrorum præsertim, quibus melius sapit palatũ quàm mens, & qui maiorem uitæ suæ cursũ in officina Cereris & Bachi ponentes, quàm Mineruæ, doctius secant carnes, distribuunt dimensa, equos alũt, curant patinas & pocula, mensas apponũt, quàm uel sacras literas tractãt uel prophanas. Hoc illud est totius erroris caput in republica Christiana, quòd ijs neglectis qui susceptis honoribus commodè fungi possent, ad illos sæpius honores deferuntur, qui quiduis potius didicerunt, quàm bene docere uel uiuere honestè. Quapropter non possum non uehemẽter commoueri gymnasiorum nostrorũ uastitatem, ingratamq; solitudinem, in culpã præceptorum, non in aulas regũ atq; procerum conferri, quæ totum honoris splendorem, totã uim o-

pum, totum immunitatis libertatisq; dulcẽ fru-
ctum adse traxerunt, et scholas earumq; culto-
res nudas relictas in medio, omni honore atq;
præmio exuerunt: Perinde atq; uel soli artium
istarum sordidarum artifices, uel milites rebus
publicis usui sint ac nihil etiam ad ornamentum
earum conferant bonæ literæ: Et quasi ex duo-
bus medicis fiat societas, ac non ex medico et a-
gricola καὶ ὅλως (ut uerbis Aristotelis utar)
ἑτέρων καὶ οὐκ ἴσων. Non ante igitur æ-
tas hæc nostra difficilis in suo cuiq; tribuendo,
frequentius ac florentius, gymnasium uide-
bit, quàm honoris mercedisq; certam ac iu-
stam portionem, aulis detractam, ad scholas
retulerit, maiorumq; morẽ reuocauerit, nõ
ab aulis, in sacros præsertim ordines, quemq;
adsumendi, sed ab gymnasijs coetibusq; studio-
sorum, qui ut frequentes sint, reipublicæ inte-
rest prouidere, ut boni, in ipsis adolescentibus
situm est, si quæ sunt ipsorum officij non igno-
rent, de quo deinceps dicemus.

DE AVDI toris officio. CAPVT XII

Ate-

Antequam ergo iter bonarum literarũ
ingredi incipias ô auditor, oportet pro-
ponas tibi inprimis certum professionis genus,
ubi conquiescat animus: & in quod ceu in finem
atq; scopum defixus, omnes tuos conatus, et la-
bores, omnes quæsitos disciplinarum fructus tã-
quam pictor manum ad destinatam imaginem,
dirigas. ita nihil nec inaniter consectabere, nec
temerè cognosces, neq; disces quicquã quo non
aliquando uel augeas professionem tuam, uel
exornes. Alioqui idẽ tibi quod incauto atq; im-
prudenti cuipiam quò petat ignoranti, usu ue-
nit. Nam ut is nunquam eò peruenit, quo debet
ita & tu quî poteris consequi, quæ neq; cogita-
tione designasti, neq; uoluntate aut studio com-
plexus es? Deinde cognito fine itineris tui, te-
cum rursus inito rationem animo tuo reputans
quàm durum & laboriosũ hoc iter sit quod in-
ceptas, & quo ad fastigium doctrinæ per-
uenitur, in ipso præsertim ingressu. Non te
hic uoluptas & multus somnus, non comessati-
ones ac compotationes, non conuiuiorum stre-
pitus atq; cantus, non uacuitas animi, non ullæ
amoenitatum illecebræ, sed grauis labor et uigi-
liæ, lucubrationes atq; excubiæ, modicus cibi &
uini usus, altius silentium & frequens solitudo,
cura & solicitudo, in primo statim aditu, exci-

pient. Nam non datur ad musas currere lata uia. Quæ quidem omnia multò ante atq; sedulò præuidere non parum refert ne incautum pectus adolescentis, si improuisò incidant, et debilitent & frangant. ut enī iacula, sic queuis mala, præuisa minus feriunt. At ubi his quæ te auocent neglectis, forti & infracto animo, altius in bonis literis processeris, latissimus tandem se tibi campus aperiet, ac ōnibus inuitamētis plenus, in quo nihil profectò deerit, quo, ad usq; extremam senectam, te tuosq; omnes oblectes. Et quod. M. Varroni mathematicarum disciplinarum uoluptas & utilitas in ipso progressu existit, cum uidelicet perfectæ, absolutæq; sūt in principijs uerò ipsis aspernabiles & insuaues uidentur, idem propemodum in omnium aliarū artium initijs experimur. Radices enim studiorum amaræ sunt, fructus dulces, Quod in seipso expertus Cato nobis etiam comprobauit. Nā sicut Dionysius tyrannidem honestissimas exequias, ita ille, decoram, ætatis iam senescētis, rei publicæ occupationem ratus, laxamentis et quibusdam quasi iocis, in contexendis libris & agricultura utebatur, uarias orationes & historias conscribendo. Proinde & tu auditor, si sapis, pro uirili parte annitere, ne uoluptatum studio arduum iter literarum deseras, Musonij philosophi

philosophi præclari illius dicti sæpe memor, Si cum labore honesti quippiam egeris, labor abit honestum manet, si cum uoluptate turpe feceris quippiam, quod suaue est abit, quod turpe est manet. Iam uerò, ubi eo modo & scopum itineris tui, & dificultates eiusdem perspexeris, tum demum modos perquire ceu stata & distinctæ diuersoria, quibus tam arduum iter commodè expediteq; perficias. ut enim uiatores in diuersorijs reficiuntur, ut eo quo destinarūt citius perueniant, ita uires ingeniorum perspecta ista & cogitata discendi ratione, ceu certis locorū interuallis adiuuantur & colliguntur, & quasi interquiescunt, dum non huc atq; illuc errant, ut optato illo studiorum suorum portu, ad quē contendunt citius frui possint. Modi autem hij ferè sunt. Inprimis sic statue, ex re esse atq; cōmodo tuorum studiorum, magis oculis & auribus uti quàm lingua. Non temerè natura sagax binos oculos & geminas aures easq; patulas fabricando, linguam, duplici uallo conclusam labiorum & dentium, in os abdidit, ut ad uidendū & audiendum celeres, ad loquendum uerò tardi simus, Quod cum alias ferè semper tum in percipiendis disciplinis plurimum confert. Non antè igitur ad præceptorem audiendū accedas, quā articulum disputandum, aut interpretandū ipse legas

legas domi, tecumq; meditere. Nam singulis bene examinatis, & animaduersis quæ te uehemẽtius torqueant, interpretationem præceptoris et tenacius continebis, & magis accurata consideratione percipies, & quod utilissimum est auditori φιλαυτίαν hoc est nimium tui amorẽ cõmune adolescentiæ malum, ex animo tuo euelles considerans, quantum abes studio isto tuo priuato, ab excellenti doctrina præceptoris, cõfirmata multa lectione, & longo usu. Fit enim nescio quo modo, ut ea quæ ab alijs magno labore & industria parta sunt, non antè magnifaciamus, quàm ipsimet experiamur. Et facilius ad ea quæ uisa, quàm ad illa quæ audita sũt (teste Crasso) mentis oculi feruntur. Frequẽs mos est eiusmodi in Italicis scholis, & laudatus, ubi huiuscemodi articulos iuuẽtus non in libris ad scholas defert, sed in animo & memoria conditos. Aduersus eos autem qui adeo ociosi & negligentes sunt, ut præceptorem quidem attentè audiant, cæterum ipsi domi nihil laborent, nẽpe auribus dumtaxat studentes non oculis, Alciatus solebat proponere illud Homericum, quod Vergilius sexto Aeneidos sic Latinè reddidit.

Sũt geminæ sõni portæ, quarũ altera fertur
Cornea, qua ueris facilis datur exitus umbris
Altera candenti pfecta nitens elephãto

Hac

Hac falsa ad terrã mittũt insomnia manes.

Etenim ebore dentes repræsentãtur, cornu uerò oculi: quæ proprijs oculis à nobis conspiciuntur, ea & certissima sunt, et memoriter facilius tenẽtur: quæ uerò auditu dumtaxat, de ore aliorum percipimus, incerta sũt & quasi per nebulam nobis inspecta celerius euanescunt. Cũ igitur studijs atq; disciplinis, plus cornea pupilla confert, quàm eburnei dentes, danda certè ẽ opera auditori, ut quæ à præceptore auditurus est, prius domi lustret oculis & diligenter contempletur, tum demũ attẽtissimè audiat præceptorem, sedulò sibi persuadens, priorem esse & potiorem uirtutem tacendi quàm loquendi. Neq; enim eadem est ratio in pilæ lusu, quæ in disciplinis tractãdis. illic probantur qui pilã arte emittũt, deinde excipiunt, hic turpiter committas ni prius acceperis. Præclarè Pythagoras ijs adolescentibus, qui se ad discendum attulerant: & quorum mores ac naturas, cõiectatione quadam de oris et uultus ingenio, deq; totius corporis filo & habitu cognoscebat, silentiũ nõ minus biẽnij ĩdixit, et ĩtra hoc tẽpus ἀκȣ̃σ ικȣ̃σ appellauit, uel quòd eo pacto nõnulla uitia, quæ secum rudis imperitia adfert, ex animis discipulorum uoluit extirpari, fastum uidelicet ac tumorem, quem perinde prodest ex animis iuuenũ

S s eijcere

escere,atq; ex utribus uentum,si uoles quippiã utile infundere,item arrogantem de se persuasionem,quæ tum (ut est apud Fabium) magnos profectus perdit,cùm omnibus se anteponens, non facilè aurem præceptoribus adcommodat, sed tanquam in possessiones suas uenerit,cæteros excludit garriendo.inestq; in illis precipuè id uitij,qui uix ultra primas literas progressi, nõdum didicerunt quid sit scire. Vera enim eruditio ab huiusmodi morbis longè abest,non secus atq; tumidæ uesicæ quæ paucis ĩsertis granis mirum in modũ crepant,refertæ silent.Vel uoluit adolescentes hoc ceu symbolo admonere,ut est difficillimum benè tacere,sic apprimè necessarium esse in primo philosophiæ aditu,ut possis abstrusa illa penetralia musarũ reserare. Nolim tamen semper taciturnior statua sis,Loquere in loco modestè et uerecũdè,ornat enim ætatem pudor,tum præcipuè cum tantum profeceris,ut & rogare aptè possis,& rogatus uicissĩ non stultè neq; οὐδὲν πρὸς ἔπος ut dicitur respondere.Nam perpetuæ istæ auditiones malè audiunt,& in malam partem plerunq; accipiuntur,Vt merito dixerit Iuuenalis

Semp ego auditor tãtum?nũquãne reponã?

Et uas electionis Paulus insectatur eos qui semper quidem discunt,nec unquã ad cognitionem

uerita=

ueritatis perueniunt. & Taurus philosophus (ut est apud.A. Gellium) in Diatriba faciebat sæpe post quotidianas lectiones quærendi quod quis uellet potestatem.Idemq; mos hactenus in Italia seruatur. Sicut enim in uitio ponitur in quouis sermone præcurrere ,ita stupidi est ingenij planè obsurdescere. Audi igitur ô adolescens præceptorem quatenus expediat, & audi tum attentè,ut ne illud in te Theodori cognomento Athei conueniat,qui dicere solebat uerba se auditoribus dextera manu porrigere, illos sinistra accipere: tum uerò beneuolè & placidè,ut tanquam in sacro epulo et laudes ea quæ apponũtur,& ames officium eius, qui aliquid expenu suo tibi profert,& gratè pieq; fateare,per quem profeceris,& cui multum debeas ei plurimum uelis debere,quæ candidi sũt animi atq; ingenui.Sed simul atq; hoc mõ dociles aures tuas reddideris,tum illa diuina, nec unquam satis laudata Crassi præcepta, quibus rationem discendi apud Ciceronem præscribit, tecum reuolue,atq; imitando exprime.Primum ut habeas qui docere fideliter possit.Nec enim ita esse oportet aures patulas & faciles ut adcommodentur cuiuis,ne ullus in præceptoribus delectus habeatur. Haud enim ab re Xenocrates adolescentibus præcepit ut aures arment ac

muni=

muniant thecis, quas uocant amphotides, magis quàm athletæ, quòd plagæ, horum quidem aures possint offendere, illorum uerò animis lõgè maiori periculo peruersitas improbitasq; morum irrumpit ni prohibes. Quare illis subduces tuas aures, qui aut falsa pro ueris docent, aut nugas meras obtrudunt, aut docendo quæ non oportet inurunt moribus turpem notam. Sed quæ signa sequi debes, in deligendo præceptore, diximus suo loco. Alterum Crassi præceptum, ut tantum sumas quantum opus sit. Si enim (ut ibidem Crassus inquit) tota uita nihil uelis aliud agere, ipsa tractatio & quæstio, quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione uestiges. ita fit, ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria studiumq; permaneat. Cuius quidem præcepti is propemodum sensus est, ut ex disciplinis quas tractamus, neq; passim omnia neq; enixè, sed dũtaxat ea decerpamus more apum, sine quibus nostra professio & ieiuna sit & manca. neq; ita tractemus omnes artes ut illi solent, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in uita sunt aliud acturi. uerbi gratia, si scopus est tuorum studiorum iuris ciuilis cognitio, tum locus de uita & moribus totus est tibi necessariò perdiscendus

discendus

discendus, quòd iuris ciuilis & philosophiæ ijdẽ fontes. Addes facultatem dicendi etiã necessariò, quòd sine hac iurisconsultus Antonio, nihil nisi leguleius quidam cautus & acutus, præco actionũ, cantor formularum, auceps syllabarũ est. cætera undiq; mediocriter carpẽs, ornamẽti loco adijcies. Si finis laboris tui est medicina tene examussim atq; perfectè eam philosophiæ partem quæ naturas rerum inquirit, reliqua, ꝑ transennam, & quasi delibans inspice. Si ad arcana diuinæ philosophiæ, quam theologiã uocamus contendis, libris sacræ scripturæ diligẽter excussis, ea etiam quæ ad dicendi facultatem ꝑtinent, maiore studio conquire. Nam eo loco apud nos sunt sacri concionatores, quo olim fuerunt oratores. postea non inconcinnè egeris, si ea omnia spolijs Aegyptiorũ, id est studijs ꝓphanis ornaueris. Id ubi sedulo feceris, certè & tantũ sumes quantum opus sit, & celeriter facileq; ad portum optatum studiorum tuorum peruenies, quo nihil quicquam uel gratius, uel optabilius esse potest. Etenim (ut etiam Aristoteli uisum est) τὸ μανθάνειν ῥᾳδίως ἡδὺ πᾶσι φύσει ἐστὶν id est, facilè addiscere, natura omnibus hominibus dulce est. Alioqui (si uera ẽ Crassi sententia) nisi quod quisq; citò potuerit, nunquam omnino possit perdiscere. Quanquam

dictum

dictum Crassi cum moderatione & quodam temperamento intelligendum puto. Habendumq; semper in animo illud σπεῦδε βραδέως, Augusto frequens in sermonibus & epistolis, per quod admonemur, ut ad res agendas simul adhiberetur & industriæ celeritas, et diligẽtiæ tarditas, ne singula celeriter prætervehendo, quod παραφέρεσθαι Græci uocant, præter casam fugiamus quod dicitur. Postremum est, ut scias ipse discere. Sicut enim in præceptore iusta docẽdi ratio meritò exigitur, ita tu frustra, & fidelem præceptorem habeas, & sumas quantum opus sit, nisi & certam discendi rationem teneas. Et quidem ea discendi ratio, cũ in alijs plerisq;, tum in hoc uel in primis consistit, ut prior tibi sit cura rerum quàm uerborũ.

Scribendi rectè sapere est & principiũ & fõs.
Rem tibi Socraticæ poterũt ostendere chartæ.
Verbaq; prouisam, rem non inuita sequũtur.

Quam enim spem bonæ indolis de se dabũte qui contemplatione rerum seclusa, in solis hærẽt uerbis ac prouerbijs, nitorem uerborũ, ceu pictas tabulas intuentur & mirantur, prudentiã rerum stultè ac turpiter prætereunt. Quid uerò tam furiosum est (ait Crassus) quàm uerborum strepitus inanis, nulla subiecta sententia neq; scientia? Res nerui sũt atq; musculi, sanguis

& mẽ-

& membra orationis, quas ubi conquisieris, tum demum ad ornandam expoliendamq; orationẽ accedas licebit. Nam cum omnis ex re atq; uerbis constet oratio, neq; uerba fidem habere possunt (authore Crasso) si rem subtraxeris, neq; res lumẽ, si uerba semoueris, ut rectè Fabius curam uerborum, rerum solicitudinem esse uoluerit, & hãc priorem illam posteriorem esse debere. Non aliter atq; conuiuæ potatoresq; faciũt, qui exempta prius fame & sedata siti, tum demum & pocula uersant manu, & sculpturas contemplantur. Deinde non leue momentum est perueniendi quò uelis, si ut quicq; primum est, ita primum sibi in ediscendo locum uendicet, ne præpostera sint studia. uerbi gratia, grammatica dialecticam antecedat, hæc rursus rhetoricam, deinceps cæteræ ordine suo sequãtur. Profectò enim (ut Crassus apud Ciceronem ait) studia nihil prosunt perueniendi aliquo, nisi illud quod eò quò intendas ferat ducatq; coznoris. Est sua etiam studijs infantia, suus ordo, quem si peruertas, errabis toto cœlo, quod dicitur. Neq; enĩ minoribus neglectis maioribus statim locus erit. Neq; uerò simul omnia uno tempore discenda sunt ne mentis aciem multitudine obrutam obtusiorem efficias. Consultò sanè Italia Græciam imitata plerisq; in locis, eam usur-

pauit

pauit rationem in liberis instituendis, quòd singulis artibus singuli præceptores dantur, quos puer simul cum arte commutat. Neq; tamẽ uerendum est, inquit Fabius, ne binis præceptoribus oneretur puer. Nõ enim crescet sed diuidetur, qui sub uno miscebatur labor, & erit quisq; sui operis magister utilior, modo diligenter uideas, quantum cuiusq; uires possint. Sicut enĩ oris angusti uascula sẽsim infusam aquam suscipiunt, superinfusam respuunt, ita pectus iuuenile singulas artes facilius percipit, pluribus opprimitur. distrahitur enim cogitatio & animus nec habet ubi consistat. Prodest autem etiã, sũma artium capita rudi Minerua, pueris proponere, ceu ideas ac nudas imagines: omni ornatu atq; coloribus detractis, antequam ad exactam earũ tractationẽ accedãt. Nã cognito totius artis tanquam rudi corpore, facilius deinceps singula eius membra perspiciẽt. Quare, nõ damno artium epitomata, breuesq; illas formulas, modone, & perpetuo in eis hæreamus, & grauissimos quosq; authores è manibus excutiamus, ac fontibus neglectis lacunas, riuulosq; consectemur. sed hæc minutiora (ut superius dictum est) scholæ municipales nobis debẽt. Neq; enim antè adolescentes ad gymnasia mittẽdi sũt quàm singularum propemodum artiũ compẽ-

dia

dia breuiter didicerint, uel saltem à primo limine salutarint. Quanquam autem & stupidi esse ingenij Heraclitus putauit, ex quouis sermone quærere quod discas, & præceptor nõ eadẽ sẽper similiq; diligẽtia esse possit, nulla tamẽ ẽ adeo abiecta & neglecta boni præceptoris lucubratio, quĩ aliquid fructus emolumẽtiq; adferat, modo animũ intẽdas, ac ex ore narrantis pẽdeas. Cuperem equidem eũ in te ardorẽ esse ad literas, qui in Euclide Socratico, ad philosophiã fuit, cũ propositam pœnã capitis, si quis Megarensiũ Athenis præhẽderetur, nõ ueritus, Megaris Athenas ad audiendũ Socratẽ, muliebri ueste amictus & pallio uersicolori, nocte uẽtitaret, rursusq; sub lucẽ, paulò ãplius uiginti passuum milia rediret. Tãta enim diligẽtiæ ac sedulitatis uis ẽ, ut quẽadmodũ doctrina, ita diligentia, quæ bona sũt fieri meliora possint, & quæ nõ optima aliquo modo, acui tamẽ & corrigi possint. Cleãtes & Xenocrates cõdiscipulis primo lẽtiores uisi, studio nõ intermisso laboreq; assiduo, tandẽ alios lõgo post se interuallo reliquerunt. Quid ita? quia

labor omnia uincit
Improbus, & durus urgens in rebus egestas. Et iuxta prouerbiũ. Cura õnia potest. Quãobrẽ elabora tibiq; ꝑsuade nihil tam esse dificile & ar-

duũ

dum, quod nō diligētia atq; labore superetur-

Perrupit Acheronta Herculeus labor

canit Lyricus uates. Neq; quisquam repertus ē (authore Fabio) q studio nihil sit cōsecutus. Sed ita demū elabora, ut ne ualetudinis oblitus, nullū tēpus uacuū itermittas παῖζε (inquit Bias) ἵνα σπουδάζῃς. Requies enim atq; iocus (authore Aristotele) necessaria sunt in uita, & colligendi sui causa, & ualetudinis tuendæ. Alternis ea succedāt ut pōdus lucubrationū sustineas. Verū ē illud Ciceronis. Homines quamuis in turbidis rebus sint, tamen si modo homines sūt, interdū animis relaxātur, Et item Nasonis

Quod caret altera requiæ durabile nō est

Hæc reparat uires, fessáq; mēbra nouat.

Iā illud caue in posterū diē reijcias differasq; q̄ stati facturus es. Memorq; quāta uel minimi temporis iactura sit, & quàm fluxa ætas et mobilis illo te poetico adhortare.

Dum uires & āni sinūt tolerate labores.

Iā ueniet tacito curua senecta pede

Alexander Magnus interrogatus, quomodo tā præclara facinora pegisset μηδὲν ἀναβαλλόμενος respondit. Atq; illud quod assequi nō potes, quodq; ab ingenio ac natura tua abhorret, relinque, Scitū est illud Græcorum

παλινδρομῆσαι μᾶλλον ἢ δρόμειν κακῶς

Ne

Ne simul oleū perdas ac operā. Quòd, ut uerè poeta recinit, Tu nihil inuita disces faciesq; minerua. Et item alius, Qui sua metitur pondera ferre potest. Itaq; quod naturæ tuæ aptum est, quod ingenio cōuenit, in hoc industriam studiūq; tuū exerce. Atq; sicut operepretiū ē articulū interpretandum relegere prius quam audias, ita nihil habet bonæ frugis, attentè auditū nō sæpius secum aut cum alio retractare, Quis enim ferat æquo animo in tōstrina surgētes, aut balneo redeūtes mox assistere speculo atq; cæsariē cōtueri rectène an pperā tōsa sit: & à scholis reuersos nō à se exigere quid ex lectiōe didicerit, quid iā exactè perceperint, nunquid sit quod adhuc desyderent. Præclarè illud poeta.

Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit

Vnde Antistenes cuidam adolescēti fertur dixisse, ad parandā sibi doctrinā opus esse libro & mēte, stylo & mēte: tabella & mente: mētis & animi sedulā intētionē maximè cōmendans & identidem repetens: & rectè sanè, cū præsertim authore Fabio multo plus secreti temporis studia desyderent, ac tū est pura uoluptas literarū, cū ab ictu, id est opere recesserūt et cōtemplatione sui fruūtur. Sed cum ipsa utilissima sit exercitationi difficultas, (ut idem Fabius author est, & res ipsa docet) da operā ut eos scripto-

res in omni genere literarũ, quorũ obscuritati elucubratæ euidẽs utilitas comes est, audiendos, tractãdos, ediscẽdos tibi proponas. in his adhibe præuiũ præceptorẽ, industriãq; tuã exerce, neq; te absterreat ulla difficultas. Obuios autẽ quosq; authores & minutos, quos ipse p te cõsequi potes, ad secreta studia reijce.

Nec Deus intersit, nisi dignus uindice nodus
Inciderit   Horatius canit

significãs, Vt tũ demũ præceptorẽ quasi Deũ adhibeamus, cũ nodi lectionis rerumq; grauitas postulat. Quamobrem iudicia deprauata nostrorũ adolescentũ quis laudet? quòd istos extremæ classis, minorũq; gẽtiũ scriptores, qui aut nullos pariũt fructus, aut cuiusuis priuato studio sine ullo negotio percipiuntur, adeo studiosè consectãtur & audiũt, ut auditoria repleãt, cũ interea Aristotelis Lyceum, cæterorumq; præclaræ scholæ sileãt. Sed minimè mirũ est, cũ stultorum infinitus sit nũerus, qui (ut Strato Physicus dicebat, cũ Menedemũ plures multo discipulos habere quàm se audisset) lauari quàm ungi malũt. Postea sicut uenatores sæpius canibus feras uenãtur & capiũt, quibus cum uoluptate fruãtur ita tu in captãda suaui ac diuina sapiẽtia, plurimũ utere memoria atq; usu. Ni enĩ et memoria thesaurus, rerũ õniũ custos, rebus & uerbis accedat

cedat, & adsit usus freques, qui omnium magistrorũ præcepta superat, frustra laborẽ suscipias. omnia sine his duobus administris etiã præclarissima pereũt: At ubi audita lectáue in memoria reponas, rursusq; eadem exerceas, disputatione, declamatione uel stylo, tũ demum parta tibi est sapientia. Hoc enim illud est quod Affranius sensit, inducens sapiẽtiã de se loquentem his uersibus

Vsus me genuit, mater peperit memoria.
Σοφίαν uocant me Graij, uos sapientiã.

Sũt igitur illi adolescentes in uitio, ac in magno uersãtur ignorãtiæ errore, q nihil memoriæ, nihil exercitationi cõfisi, literis õnia etiã minutissima cõmendãt, et ut sũt mera (ut. M. Cato ait) mortuaria glossaria, neq; aliud quàm uerba authoritatesq; uerborũ sectãtur, eruditionẽ tamen præceptorũ istis glossarũ ineptijs metiũtur, ut, q præceptorũ maiora glossarũ plaustra aducũt, ij & doctissimi, & facilè principes õniũ, istis habeãtur. Sed uide quãtum peccẽt dũ & literis cõfisi, memoriã in perdiscẽdo atq; usũ remittũt, & sola auditione glossisq; nescio quibus contẽti, pgressũ præceptoribus sibiq; necessariũ impediũt. Multò rectius ac ex re suorũ studiorũ facerent si animi attẽtione nõ calamo, præcipua dicta suorũ præceptorũ exciperent, si consiliũ authoris

indagarent, res inuentas cõpositasq; & argumẽtorũ neruos, copiã exemplorũ & similiũ intuẽdo, si uerborũ uim & aptã collocationẽ inspicerẽt, atq; totos se ad imitationẽ probati authoris & boni præceptoris componerẽt, ab ipsorum uitijs interim abhorrẽtes. Pleriq; enĩ adeo incauti sũt, ne dicã stultos & demẽtes, ut celerius uitia imitẽtur & effingãt quàm uirtutes. Sic ferũt Platonis familiares cõtractos humeros expressisse: Aristotelis amicos balbutiẽ: quosdã Alexãdri regis ceruicẽ inflexã, et in dicẽdo uocis asperitatẽ. Nõnullos uerò malos poëtas cũ uirtutẽ nõ possent, uinositatem Homeri reddidisse. Quod genus hominũ sic exagitat et ridet Horatius. Quid? si qs uultu toruo ferus et pede nudo

Exiguæq; togæ simulet textore Catonem
Virtutẽ ne representet moresq; Catonis?
Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,
Dũ studet urbanus tenditq; disertus haberi.
Decipit exemplar uitijs imitabile. Quòd si
Pallerẽ casu, biberent exangue cuminũ.
O imitatores seruũ pecus, ut mihi sæpe
Bilem sæpe iocum uestri mouere tumultus.

Deniq; absit ab auditore improba temeritas, quæ tũ ẽ insignis, cũ falsa aut icognita res approbatur, absint seruiles lusus, quorũ effectus (ut ait Iustinianus) iniuria est uel in ipsos præceptores

uel in socios, & maximè in eos q rudes ad scholas ueniunt. Oportet enim (idem ait) prius animas postea linguas fieri eruditas. Neq; uerò (quod officij auditoris caput est) pudeat te discere quod nescias illud poetæ tecum reputãs

Cur nescire pudens prauè quã discere malo?

Nulla ætas pudorẽ tibi incutiat quin discas quod nescias, cum amor & usus studiorum non scholarũ tẽporibus sed uitæ spacio terminetur. Quod ita se habere Iulianus quidem Iurecõsultus dicto demonstrauit, Et si (inquiens) alterũ pedẽ in sepulchro haberem, adhuc addiscere quidẽ uellem. Socrates autem uerbo docuit & exemplo. Quẽ cũ quidã reprehẽderet, quòd iam senẽ, musicam discere non puderet: Præstat (inquit) tardè discere quàm nunquam. Nec iustã reprehẽsionẽ grauiter fer, sed audi Hesiodum dicentem

Omnia q per se se præuidet, optimus ille est.
Proximus ille tamẽ, qui paret recta monẽti.
Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monẽtẽ
Inuida ei mẽtem misero natura negauit.

Nam sicut

Stultorũ icurata malus pudor hulcera cælat
Et, alitur uitiũ, uiuitq; tegendo,

Ita extremæ insaniæ est, aut ignorãtiam morbũ animi cælare ac fouere, aut nõ æquo animo prudentũ reprehensionem pati. Nõ omnino lauda-

tur. M. Antonius homo ingeniosus, quòd idcirco nullam unquã orationem scripsit ut (quemadmodum ipse dicere solitus est) si quid aliquando quod non opus esset ab se esset dictum posset se negare dixisse. nimiũ ueritus est ne in reprehẽsionẽ incurreret. Melius imperator Adrianus q̃ nũquã se à quouis admoneri & corrigi ægrescebat, si quid præter sententiã subito iuuaretur. Nã cũ transeuntem quædam mulier rogasset, ut se audiret, isq; ocium sibi nõ esse respondisset, ac deide à muliere clamãte audisset, Noli ergo imperare, mox, nõ auersatus reprehensionẽ, eam audiuit. Optimè Hippocrates (authore Fabio) et M. Tullius, cum ille quosdam errores suos, ne posteri errarent cõfessus est, is, integros libros iã æditos, alijs postea scriptis dãnauit, sicut Catullũ atq; Lucullũ, & libros de arte rhetorica. In summa, contende omnes neruos, ut scopo ardui itineris tuorũ studiorũ perspecto, ac obseruatis semitis compẽdiosis eò peruenirendi, & onustus bonis literis, & bonis moribus ornatus, ex diuite disciplinarum emporio, ad parẽtes et ꝓpinquos tuos lætus redeas, semp habens in animo illud Homeri Αἴσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι. Et item illud legũ Romanarum. Domum cũ laude redeũto.

DE LECTIOnibus

CAPVT. XIII.

Socrates apud Platonem in eo dialogo cui Protagoræ nomẽ est, uerè disseruit, longè grauius esse periculũ in disciplinis quàm in cibis emendis. quòd cibi quidẽ in uasis domum deferri possũt, ut habeas spatiũ cogitãdi, atq; expẽdendi aut tuo, aut alterius cõsilio, q salubres sint, qui noxij. Disciplinæ uerò statim ipso animo excipiãtur, ut aut mortiferũ improbitatis uirus influẽs maiestatẽ animi ingenijq; lumen extinguat, aut si nõ penitus extinguat, certè ita oblinat ac inquinet obscœna ac turpi barbariæ, ut mẽtis uigor intra densam ignorãtiæ caliginẽ demersus, nunquã uerũ doctrinæ lumen, nisi cõniuẽtibus oculis aspiciat. Itaq; quò periculũ maius ab ea re nobis creatur, eò maior adhibẽda est cautio, & fidelius consiliũ. Graues sũt corporum morbi, sed, uel modica inambulatione ac exercitatione, uel tenui uictu curantur, uel certè si tenacius hæreãt moderato usu pharmaci. At morborũ animi & periculosa est & anceps curatio. ut q semel uitiorũ labẽ cõceperint ægrè & difficulter sanẽtur, ubi præsertim longior cõsuetudo accedat, qua morbi abeũt in naturã. Sunt quidẽ multa et

maria, propria reipublicæ, ſed neſcio an quicquã
maiorẽ uigilãtiã, ſolicitudinẽ, ſapiẽtiã, & autho=
ritatẽ magiſtratus requirat, quàm, ne incauta ac
imprudẽs iuuentus, aut noxiũ diſciplinarũ uirus
hauriat, quo ſe atq; rẽpublicã enecet, aut cũ bar=
bara & aſpera oratione, quæ plerumq; animi ab
humanitate alieni ſignũ ẽ, duros etiã ac barba=
ros mores, ex inquinatis ſcriptoribus concipiat.
Quare arcendi ſũt à ſãctiſſimis muſarũ templis
hoc eſt Academijs obſcœni poetæ: eijcienda bar=
baries cũ ſuis authoribus Scoto, Verſore, Glogo=
uita, id genuſq; alijs q & docẽt nihil ſapere, &
uiã ad philoſophos præcludũt, quos potius inq=
nãt quàm interpretãtur, ſomnia ſua uerbis inu=
ſitatis, nouis, abhorrẽtibus à cõmuni cõſuetudine
explicãtes, nõ ſenſa Ariſtotelis quẽ interpretan=
dũ ſusceperũt: ac p his reuocãdi aut retinẽdi illi
authores, q ad unũquodq; pfeſſionis genus, ſeu
ſcopũ quẽ quiſq; ſapiẽs ſtudijs ſuis proponit, ap
paratu rerũ & uerborũ, utiles ſint. In quo ge=
nere Ariſtoteles eſt, q omniũ pené ſeculorũ atq;
hominũ conſẽſu unus habitus eſt, & doctiſſimus,
& ſcholis maximè idoneus. Nã ferè ab eo tẽpo=
re quo p Fœlicẽ Syllã ex bibliotheca Apelliconis
Teij Romã delatus in uulgũ pductus eſt, atq; à
Tyrãnione Grãmatico digeſtus in numerum, ha=
ctenus uſq; durat in ſcholis, cæteris & oratori=
bus

bus & philoſophis diu corroſis à blattis et tine=
is. Quànquam enim philoſophia Platonis ea re=
rũ præſtãtia, grauitate, ubertate, uarietate ple=
na eſt & referta ut cœlũ ipſũ petere, & feri=
re ſydera uideatur: ea uerborũ maieſtate & co=
pia cõſcripta, ut ſi Iupiter oratione uteretur, eũ
nõ aliter quàm Platonis dialogis locuturũ: tan=
ta eſt tamẽ Platonicæ philoſophiæ excellentia,
tãta rerũ & cogitationũ altitudo, ut nõ ad uſũ
cõmunẽ, populareq; ſtudiũ, ſed ſupra legẽ natu=
ræ cõſcripta eſſe uideatur. Atq; ob eã rem diuini
etiã nomẽ habet, quòd ad altiſſimã diuinorũ cõ=
ſideratione & cõtemplationẽ raptus, hæc medi=
ocria naturæ leuiter attigerit, ad uſq; mentẽ di=
uinã mũdi opificẽ, idearũq; ſeriẽ in ea mẽte diui=
na ppetuò hærẽtem trãſgreſſus, ut uel hoc ſolo
nomine ſcholis Theologorũ aptior ſit, quàm o=
ratoribus, niſi ad uim & copiã dicẽdi, quàm iu=
recõſultis, quàm medicis. Et quòd pleraſq; leges
cõſcripſit, quæ ab communi uite uſu, et popula=
ri iſta cõſuetudine penitus abhorrẽt. Tãta de=
niq; Platonicæ orationis ubertas & copia, ut ſi
uerbũ aliquot demas muteſue, nihil tamẽ de ſẽ
tẽtia detraxeris, quæ ſané plus ad mouendum et
deliniẽdum lectorẽ, quã ad docẽdum ualẽt. Ari=
ſtotelicæ autem diligẽtiæ ea eſt mediocritas, is
cõpoſitionis & ſcriptionis modus, quòd, nihil ha=
bens

bens demissum ac humile, ita se itra fines natu-
ræ continet, ut eius inuentis ne ipsa quidem na-
tura repugnet, atq; ad popularē usū, commu-
nemq; istā uiuēdi rationem adcōmodetur. Ver-
bis uerò & orationi elegantia tanta inest, quan-
tam res ipse uidētur postulare. Nihil hic super-
fluum aut redūdās, nihil nisi necessariū reperias,
ut uel uno uerbo detracto nō parum de senten-
tia decesserit. Quæ breuitas quātum confert ad
rationē docendi testis lyricus his uersibus,

Quicquid præcipies, esto breuis: ut cito dicta
Percipiāt animi dociles, teneantq; fideles.
Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Atq; sicut propria est Platonis uirtus, copia &
ubertas: ita Aristoteles neruosus in dicendo, &
in rebus uel iudicādis, uel inueniēdis acer, non
etiā ab elegantia sermonis alienus est. Alicqui
neq; Ciceroni flumen aureū fundere putaretur,
neq; Macrobio Aristotelis libri omne genus ele-
gantiæ referti esse dicerentur. Illud adde, nihil
prætermissū ab Aristotele, quod ad perfectā sa-
pientiæ rationē pertinere uideatur. Omnia quæ
ad dicēdi facultatē, ad rerū naturas, ad hominū
mores pertinēt ea diligentia et fœlicitate absol-
uit, ut nemo tot seculis repertus sit, qui eius in-
uenta aut merito refelleret, aut quippiam meli-
us excogitaret. Iam uerò si nulla res plus apud
animos

apud animos hominū quàm ordo & ornatus o-
rationis ualet, certè Aristoteles, ut elegans est
& dulcis, ut paulò antè diximus, ita in rebus or-
dine pertractandis, inq; iusta docendi facultate
admirabilis. Atq; ut omittam totum illud & in-
tegrū ipsius philosophiæ corpus, suis undiq; cō-
pactum membris, ordine mirabili ab imis ad sū-
ma, à notis adignota: tum profectò hominis so-
lertiam, & ingenij uim conspicias, atq; iustā o-
rationis seriem, cum aliena primum confutans,
demum struit & molitur sua, idq; eo ordine, ut
& comprehendas ipse omnia, &, quasi in digi-
tos diducta, alijs commodè impertias. Quid? nō-
ne & illa uehemēter Aristotelē cōmēdant atq;
in scholis retinēt, quòd nemo, si modo ad studia
animum suum adiecerit, non maximos ex ipsius
lectione percipit fructus. Ex hoc uno tanquam
ex ꝑpetuo ac lucido fonte omnes hauriunt, qui-
bus professionem suam aut locupletiorē reddāt
aut ornatiorē: hinc medicus petat licebit, exa-
ctam phisiologiæ cognitionem, fundamentū ar-
tis suæ: hinc habet iurisconsultus suarū legū fō-
tes, & easdem leges tanquā uitales reddit per-
spectis earum causis: ex hac Aristotelis cella pe-
naria mutuabitur orator, & quo suā causā su-
periorē, aduersarij inferiorem efficiat, & dicēdi
incredibilem cum copiā tum etiam suauitatem:
Hinc

Hinc candidatus sacrarum literarum decerpit ea quibus ad sancta & mystica Dei eloquia, paratior adueniat, si modo his commodè, castè, cũ modo, non morosè aut ineptè utatur. Neq; uero te moueat, quòd Cicero quoties in sermonẽ incidit de philosophorum præstãtia, primas quidẽ Aristoteli partes tribuit uno Platone excepto: tantumq; huic dat, ut malit cũ uno Platone errare quam cum cæteris benè sentire, & ut rationem nullã Plato adferret, ipsa tamen authoritate Ciceronẽ frangeret. Neq; enim id nũc quærimus, uter sit præstantior, sed uter ad scholas atq; ad discendum magis idoneus: neq; admodũ nobis curæ est, quid Ciceroni placuerit, quidue is suo etiam studio delectatus de Platone suo sẽserit, uerum quid tot summorum hominum atq; seculorum consensu, receptũ est. Neq; te à libris Aristotelis obscuritas reijciat, nam eadem etiam uia Platonem abijcies, cuius philosophia numeris Pythagoricis obscura in prouerbium abijt. Quicquid enim obscurum est, id prouerbio, (numeris Platonicis dicimus obscurius. Sed quæ difficilia eadem & pulchra. Quanquam, si uerum fateri uelimus, quæcumq; est in libris Aristotelis obscuritas, ea partim ex nobis est, qui & absq; Græcis literis ad Græcum philosophũ currimus. Neq; enim fieri potest, ut uertat interpres fide=

liter

liter & commodè omnia, cum reperias pleraq; quæ cõmodissimè quidem Grecè dicuntur, Latinè uerò neq; adeo aptè, neq; appositè exprimũtur: & accedimus sine ullo rerum & uerborũ apparatu, hoc est absq; bonorum authorũ, poetarum præsertim lectione, absq; historiarum & mathematices cognitione, quibus ueluti stellulis scripta Aristotelis relucent. Frequenter & ueterum poetarum uersus potissimũq; Homeri usurpat, sæpe exemplis historicorum utitur, sæpius abscõditas res naturæ, mathematicis et geometricis illustrat, ut quæ apud illos ueteres pueris etiam perspecta & nota essent. Vt si talibus doctrinis destitutus in diues armariũ Aristotelicæ philosophiæ ingrediare, perinde mihi facere uideare, atq; in aliquam locupletem ac refertã domũ ueniens & uestem explicatam et propositum argentum, tabulas signaq; propalam collocata, & uaria gemmarum precia uideas quidem, sed nec ipse cognoscas nec habeas, qui rerũ nomina, precia atq; usum indicet & doceat. Obscuritas igitur partim ex nobis est, qui ad Aristotelem uenimus, & expertes Græcæ orationis & sine ullo doctrinæ apparatu: partim uero in rebus consistit & obscuris & reconditis in ipsius naturæ sinu. Neq; enim obscura nisi obscurè plerumq; dici possunt. Nam si quid ab ipso au=

thore

bore obscuri est, id non eo factum est, ut quidã
maleuoli falso dicunt, ne quisquã intelligat. Hoc
namq; animo edere quæ scribis, perinde est atq;
si nihil unquã edas. Neq; adeo impudens fuit A=
ristoteles, qui ea ederet, quæ à nemine uel=
let intelligi. uoluit autem non oscitantem le=
ctorem, arcens ab aditu philosophiæ eos, qui ni=
hil cum labore quærunt, sed cupiũt omnia quasi
prætereuntes decerpere. Arcet deniq; propha=
num uulgus difficultate, ut maior sapientiæ au=
thoritas & admiratio esset. Nam facilè quæsita
uilia sunt, amas quæ magno labore partus es. A=
ptissimus igitur est Aristoteles, & scholis maxi=
mè idoneus, partim necessario rerũ usu ad om=
nẽ uitæ statũ, partim uenustate orationis et or=
dine admirabili in rebus pertractandis, partim
philosophia suis undiq; numeris absoluta & p=
fecta. Et si qua est in eo obscuritas uel est in ipsis
rebus, uel ex nobis, qui eò, aut tardioribus inge=
nijs, aut literarum expertes accedimus. Neq; id
quod de Aristotele dictum est, eo pertinet, quasi
ego existimem Platonẽ penitus reijciendũ. Quẽ
enim Panætius omnibus locis diuinũ, quẽ sapien=
tissimũ, quem sanctissimũ, quem Homerum philo=
sophorum, quem ipse Cicero quasi quendam Deũ
nominat, de hoc crimen est talia cogitare, faci=
nus dicere, scelus sentire. Legẽdus ergo est Pla=
to.

to, aut per te, si tantum uales ingenio, aut præ=
ceptoris opera priuatim cognoscendus. Confert
cum ad multa & uaria, tum ut quædam Aristo=
telis & capias facilius & ediscas commodius.
At Aristoteles regnet in scholis, & publicè suos
doctores habeat. Cui adsint comites, Demo=
sthenes & Cicero, ille Græcus, latinus hic, uterq;
summus orator, & in sua repub: princeps. Nam
cum ad uim dicendi, & orationis copiam orna=
tumq; uerborum ambo conferunt mirificè, sine
quibus aut nuda est, atq; inermis ferè, quælibet
disciplinarũ pfessio, aut nõ perĩde apta et po=
tẽs, tũ earũ rerũ facultatẽ, uarietatẽq; nobis ob
oculos proponũt, qbus ipsimet pfuerũt, qbus in
republica, pace et bello domi & militiæ usi sũt,
quas nõ didicerũt solũ, sed etiã administrarũt, nõ
audiuerũt tãtũ, sed propius inspexerũt & ges=
serunt. Plurimum enĩ refert, ab alijs audita nar=
res, exponas, et doceas an abs te ipso gesta. Itaq;
operæprecium omnino esse arbitror, & ex cõ=
modo reipublicæ, ut monimenta duorũ eloquẽ=
tiæ principũ Demosthenis & Ciceronis, quibus
disciplina fuit forum, magister usus, & leges, &
instituta, mosq; maiorum, non quidẽ omnia, es=
set enim publicè labor is propemodũ infinitus, et
nonnulla priuatis quoq; studijs reseruanda, sed
præcipuæ orationes, imprimisq; præclari de ora=
V tore

tore libri tres, in quibus Cicero dicitur seipsũ superasse, publicè ab optimis quibus oratoribus iuuentuti prælegantur cæteris ad priuata studia reiectis. Sed admonendi sumus, ne in docendis et interpretãdis authoribus, iusto tardiores, aut celeriores simus. utrumq; studijs æquè nocet. Tarditas ingeniũ opinionibus opprimit, celeritas intelligendi facultatem adimit. Nimium fastidiosè in Italia pleriq; præceptores in recitãdis & adfingendis uarijs opinionibus, totos ferè absumũt dies, uix digitum trãsuersũ interpretãdo ꝓgressi. At ridiculè nostri, Aristotelis propemodũ omnia, nõ statim & primo aspectu obuia, pegaseo cursu prætergressi uno semestri absoluunt, quasi uerò in sola celeritate legendi, ac non in percipiendis scriptis authorũ, memoriaq; reponendis, eruditio consistat. Rectius meo iudicio & cũ dignitate sua facerent, si & illi opinionibus reiectis, & hij remisso cursu, modum tarditati & celeritati iponerẽt, ita innixi interpretãdis scriptorũ & rebus & uerbis, ut ne quippiã aut in excusũ prætermittãt incautè fugiendo, aut nimiũ ad singula quæq; adfixi in scirpo nodũ quærãt, aut præter rem in pelagus opinionũ ferantur, aliquid de suo adfingentes. id enim non eruditi hominis ẽ, sed cuiusuis. ꝓpteraq; Græci uerbo peculiari homines ἀλφηστὰς uocant. ab inuẽtione

tion, quòd omnibus hominibus hoc insit à natura: Ferũtq; plurimum excogitãdo ualere homines, & insanæ mentis, quòd eo morbo laborẽt, q Phãtasia Græcis, Plinio morbus sapientiæ adpellatur, & ignaros, quòd (ut lepidè Lazarus Bonanicus philosophus et orator præceptor meus dicebat) ignorãtia nihil sit subtilius. Imitemur solertes agricolas, q in pingui solo, nec altius premunt aratrũ nec suspendũt, sed mediã secuti uiã ita subigũt aruũ ne ineptus sit & semini recipiendo, & cũ fœnore reddendo. Curemusq; ut, neq; supra quàm necesse est garriendo, neq; nimis ꝓperando, genuina & uera authoris sensa inuestigando perquiramus. Quin si qu[illegible]ia e[illegible]e, inter se prima frõte pugnare & contraria sibi uideãtur, ea uel breui distinctione conciliemus, uel ꝓprio sensu, subtili animo diuersitatis rationes excutiamus. Sic enim sine ullo negotio illi uariarũ opinionum fluctus concidunt subito, & subsidũt. Non ferendum illud etiam quod pleriq; præceptores, dialecticæ ac rhethoricæ expertes, quæ sũt artiũ cæterarũ instrumẽta, nouam quãdam docendi rationem, ueteribus inauditã sibi excogitauerũt: Nullum uas fictile solo illisũ tam frangitur, & comminuitur, quàm lectiones isti suas diuellũt, dispertiunt, diuidunt, subdiuidũt. Isdem potius illis uestigijs docendo, interpretibus cundum

eundũ est, quæ scribendo ipsi authores secuti sũt.
Sicut enim eadem uia argumenta soluũtur qua
ligantur, ita eadẽ debet esse nobis ratio, scripta
authorum interpretandi quæ fuit illis cõponẽdi.
Duo autem sunt ordines, quos scriptores sequũ=
tur ceu filũ. Alter compositionis, qui Aristoteli
γένεσις dicitur ab imis ad sũma, hoc est à primo
initio p media ad extremum usq; finem proce=
dens. Vt si faber lignarius domũ edificet, primo
facit fossam, ponit fundamentũ, addit parietes et
tectum, tandẽ excitatur domus ad excludendos
imbres, idq; ordine compositionis. Alter ordo est
resolutionis ἀνάλυσιν Aristoteles appellat, ex
cõtrario q[illegible]ai superiori conuersus. Vt enim ille
à primo [illegible]xtremum finem, ita is rursus à fine
ad pri[illegible]ũ relabitur. Τὸ γὰρ ἔσχατον (ait Ari=
stoteles) ἐν τῇ ἀναλύσει, πρῶτον ἐν τῇ γενέ=
σει. id est, extremum enim in resolutione, pri=
mum est in compositione. Sicut enim ordine re=
solutionis cogitationi & speculationi subseruiẽ=
te, à supremo fine ad infima progressi, ideã to=
tius operis animo concipimus: ita in faciẽdo ope=
re, seriem compositionis secuti ad finem deduci=
mur. Verbi gratia si ita procedas (ut exẽplo no=
stri operis utamur) Reipublicæ interest, sua in=
columitas & salus: hæc disciplina atq; educatiõe
continentur: ea demũ promanãt ex scholis benẽ
institutis

institutis ceu ex fonte, scholæ ex bono precepto=
re et auditore frequenti constant: ille bonus, hic
frequens, ob spem honoris & præmij: ordo ẽ re=
solutiuus. At si rursus ab imis ad summum pro=
grediare hoc modo. Honos atq; præmium, præ=
ceptorem & auditorem in officio continent non
inuitum, hæc scholas bene institutas efficiũt, un=
de disciplina ẽ et recta educatio, ex ijs p[illegible]det rei=
publicæ incolumitas & salus, compositiuus or=
do erit. Atq; ita colligas licebit. Rectam schola=
rum institutionem & curam, reipublicæ munus
esse, ut incolumis sit & salua, in pace et in bello.
quod primo libro deduximus. Deinde scholas re=
cte institui non posse, ubi hono[illegible] & iusta præ=
mia subtraxeris, de quo in hoc altero libro disse=
ruimus. Præceptoris igitur boni (ut ad [illegible]titu[illegible]
reuertamur) illud uel maximẽ interest, ne nouis
quibusdam uestigijs, per ambages longaq; exorsa
secutus, sed ijsdem illis quibus ille ingressus ẽ quẽ
interpretandum suscepit, Inprimis summam lec=
tionis breuiter demonstret, finemq; seu usũ. De=
inde ubi authoris consilium per resolutionẽ ex=
penderit, ac ueluti retexendo inuestigarit, tum
demum singula diligentius excutiet, compositio=
nem secutus, addito ministerio diuisionis, difini=
tionis, demonstrationis, instrumentis docẽdi præ=
cipuis. Nam illa lectio minutis numeris concisa,

uix unquam sine stomacho atq; fastidio ferri po=
test. Multo autem minus illud etiam ferendũ ẽ,
nonnullos cò impudentiæ & improbitatis pro=
uectos (quanquam implicata inscitia impuden=
tia est) ut ea profiteri ausint & docere, quæ ne=
q; didicerunt unquam, neq; intelligũt: satisq; pu=
tant tum se idoneos esse docendis iuuenibus, cum
malè quæsitis glossis labore alieno, ipsi lõgè de=
terius, ineptiusq; utantur. Nemo autem potest
(ait Antonius) de ea re quam non nouit nõ tur
pissimè dicere. Ad munus enim docendi accessu=
ro onerandum complendũq; pectus ẽ, maxima=
rum rerum et plurimarũ suauitate, copia, uari=
etate, non compuptatis glossis nitendum. Postre=
mo cauendum est, ne quicquam ab eo qui optimè
potest, ad eum qui aut non potest, aut malè po=
test transferamus. Bini sint quaterniue præce=
ptores, aut pro modo facultatum reipublicæ, et
census, numerus enim præceptorum nunquam
obest, quorũ alij Aristotelis dialecticam, alij de
uita & moribus, alij Mathematica profiteãtur,
Et sint certi, ne cũ ãni partibus uariati & mu=
tati, simul & rationem studiorũ suorum com=
mutẽt, magna et sua et auditorũ iactura: quosq;
non sors sed iudicium legat. Nec minus probro
datur, quòd pleriq; præceptores, uel lucri spe uel
ambitionis studio, in plures lectiones publicè p=

fitendas, animum suum distrahunt, & plerumq;
à sua professione alienas. Neq; enim melius agũ=
tur plura quàm unum, si illud Cyri uerum est,
Illos optimè singula efficere qui mentẽ in plu=
ribus non defatigantes, circa unum opus uersã=
tur. Periculum enim est, ne plura et maiora ag=
gressi quàm ferre ualeamus, aut auditores ma=
gno pfectu defraudemus, aut risum omniũ cõ
citemus. Vt quidam Methiochus Athenis, q quòd
nihil intentatũ reliqueret, id uulgò ridiculè au=
diebat. Methiochus ducit copias: Methiochus ui=
as curat: Methiochus exercet panarium: Methio
chus farinã tractat: Metiochus præest omnibus:
Metiochus ergo lugebit. Et si Itali homines in=
geniosi prudenter & præclarè non modo plu=
ribus disciplinis liberalibus, cogitationem suam
non diuellũt, uni disciplinæ tantum addicti, uerũ=
etiam istarum penè singularũ artium sordidarũ
quarũ õne opus est in faciẽdo, et agẽdo uni alicui
arti cõpetens opus in plures tamẽ homines par=
tiuntur: Nos certè aut nimiũ inepti, aut impru=
dentes & stulti sumus, q professionis nostræ ob=
liti, ad plura animũ adijcimus, quàm quæ uel cũ
profectu iuuenum, uel dignitate nostra sustine=
re possimus. Qui authores, & quomodo legendi
sint, dictum est, reliquum est ut ad exercitatio=
nem potẽtissimũ discendi genus ueniamus.

DE EXER-
citationibus.

CAPVT.
XIIII

EXercitationis igitur precipui modi sunt tres disputatio, declamatio, stylus. Disputationem ad doctrinæ progressum necessariam esse, docet omnium penè scholarum philosophorumq; consensus & usus. Neq; enim Socratica philosophia ad eum splendorem unquam peruenire potuisset, ni ei Xenophon & Plato Socraticæ amoenitatis duo lumina, certando & æmulando inter sese hanc lucem attulissent: neq; Peripateticæ disciplinæ nomen aliter omnino claruisset quàm illo Aristotelis more disserēdi in utramq; partem. Hæ sunt enim exercitationes ingenij & curricula mentis. Laudat lex Herenniū Modestinū, quòd plerasq; iuris ciuilis difficultates, & notando & disputando, benè & optima ratione dissoluerit. Nā hoc exercitationis genere clarius omnia percipiuntur & certius, si modo cum ratione utare. Quamobrem adsit modus in hac

hac re, absit pertinacia cum qua non rectè disputatur. Nimium enim altercando ueritas amittitur. neq; aut leuia quælibet, aut principia scientiarum & artium aut minimè controuersa in disputationem uocari debent. Sed quæ uindicē atq; ingeniū postulant, et sūt plurimū necessaria. Nā illa in scholis peruulgata, an octo sint partes orationis, an quinq; uniuersalia: an tria principia rerum naturaliū: an iustitia præclarissima uirtutum, quòd & minimè controuersa sunt & leuia, & ferè postulata, & sæpe tractantur, istis nostris publicis disputationibus ex fastidio contemptionem, ex hac ingens dedecus inurunt. Videmur enim et fluctus in simpulo (quod dicitur) excitare & nodū quærere in scirpo, quoties ea, de quibus nemo dubitat, in controuersiam uocamus. Nec illud disputationibus publicis authoritatis parum aufert (ut quidem mea fert opinio) quòd sunt quotidianæ et assiduæ, atq; ex nescio quibus (ut uocat) Exertitijs ad uerbum describuntur, nō aut ingenio excogitantur, aut opportuna deriuatione à philosophia petūtur. Cariora sunt quæ rara, ista quæ ob oculos uersantur & quæ ante pedes sunt contemnimus. Quibus si rarioribus publicè uteremur, & Glogouitæ non semper inniteremur, tū et nouitate plurimos alliceremus, & priuatas adolescentū ho-

mestas contentiones reuocaremus, & ingenia ad
ad ediscendum Aristotelem acueremus. Illud q
laudet argumentandi partes dari praeceptori-
bus, respondendi uerò discipulis. Quo enim diffi-
cilius est iacula excipere quàm emittere, hoc re-
spondere quàm argumentari grauius. Quin the
ses seu conclusiones, eius est ad disputãdum po-
nere, qui locos philosophiae obscuros, alteriusue
disciplinae, quisq; pro sua professione, bené, diligẽ
ter tractatos & perceptos habuerit. quod in
pceptores uerius, quã in discipulos cadit, ac mi-
nimé omnium in tyrones. Censerem igitur, ut ex
authoribus quos publicé interpretantur, ipsi p-
ceptores theses ponant obscuras, controuersas
& difficiles: ipsa enim utilissima est exercitatio-
ni difficultas: prius secum bené tractatas & ex-
cusas ut ad respondendum & occurrendum sint
parati: discipuli uerò dubitent, argumententur,
interrogent, hoc enim cuiuis uel mediocriter e-
rudito, facile est praesertim meditato, Atq; ita et
errores lapsusq; discipulorum citius praecepto-
res deprehendent, commodiusq; perspiciet quàm
longè absint à uera scriptoris sentẽtia, et ex in-
certis non iam suspensos & dubios, neq; incerti-
ores quàm dudum, sed doctiores, meliores ani-
misq; erectiores reddent. In summa, optarim ue
hementer, illum disputandi morem usitatum in
scholis

scholis Italicis, ad nostras etiã exercitationes p
nostros homines aduocari. Declamatio autem
hoc est domestica illa et ũbratilis exercitatio, ac
iudiciorũ cõsiliorumq; ueluti quaedam imago, tã
est iuuentuti necessaria ad reibublicae munera
prudenter obeũda, quàm ad iusta praelia strenuè
facienda, stadium, curricula, palaestra. Feruntq;
Demosthenem in Phalerico ad fluctũ solitũ de-
clamare, ut fremitũ asuesceret uoce uincere. Et
Cicero apud Apolloniũ Rhodi, apud Stoicũ uerò
Diodorũ Romae domi suae, cõmentabatur decla-
mitans, saepe cũ. M. Pisone & cũ. Q. Põpeio, aut
cum aliquo quotidie, multum latinè, Graecè saepi-
us. Ciceronis quoq;. F. Athenis Graecè apud Cas-
sium, Latinè apud Brutum declamãdo se exer-
cuisse scribit Tironi: Vt ueras populi conciones,
turbulentasq; fortiter sustineret, & causas in-
feriores, dicẽdo superiores efficerent. Quanquã
autem ueteres Graecos & Romanos, declamati-
one praecipuè usos constat ad causas forenses ad
celeberrimas Senatus populiq; conciones, quorũ
si qua est apud nos, non iam eadẽ est celebritas
atq; usus. Nõ tamẽ quod rostra refrixerũt, tacet
forũ, nullus omnino iã declamationis usus erit.
Nam cum rusticanus pudor declamando exui-
tur, animus erigitur, inuẽtionisq; facilitas dispu-
tatiõe quaesita, declamatione ornatur, dispositio
ne

307

ne uidelicet, uerborum delectu, memoria, tũ eius
modi commẽtationibus quotidie exerciti, & le-
gationis senatorioq; munere, & sacrarũ cõcio-
nũ officijs prudẽtius solertiusq; pfũgimur. Atq;
cum præceptoris prima uirtus est posse docere,
quod illi nõ cõmodè assequũtur & possunt, qui
nec delectando retinẽt, nec mouendo impellunt
nõnunquã auditorem, eaq; sine eloquentia quã
nobis declamatione cõparamus, ferè contĩgunt
nemini: Certè ad hoc ut doceas, disputãdi subti-
litas fortasse sufficiet, ut uerò commodius doce-
as delectando & mouendo, declamãdi exercita-
tio õninò est necessaria. Nulla uerò res (autho-
re Cicerone) tantum proficit ad dicendũ, quã-
tũ scriptio atq; stylus, quem merito idẽ ipse op-
timũ ac præstantissimũ dicẽdi effectorẽ appellat
& magistrum. omnia enim quæ uel disputando,
uel cõmentando facimus diligenter, certè longè
maiore diligẽtia & studio sub acumẽ styli subeãt
& succedãt necesse est. Itaq; (ut ea de re, de qua
multa Cicero, plurima Fabius tradiderũt pauca
dicamus, ne actum agere uideamur) exercendus
est stylus, partim orationibus scribendis, partim
componendis uersibus, & soluẽdis effusius aut
strictius. uertenda etiã Græca in Latinũ, & ui-
cissim latina Græco sermone transformãda. Hoc
enim & L. Crassus orator, & Cicero leguntur
factitasse

factitasse. Quin Platonis & Xenophõtis libros,
& Demosthenis orationem p Cthesiphõte hoc
genere Cicero traditur edidisse, & extant ad-
huc Arati quædã fragmẽta, in quibus se latinis
uersibus exercuit. Quãobrẽ (ut finẽ ĩponamus)
præceptores diligenter admonitos esse uelim, tũ
se, nomini suo, officio, loco, adolescẽtum cõmodis
præclarè respõsuros, cũ legẽdi ac interpretandi
studio, exercitationes etiam disputãdi, declamãdi
& scriptionis admouebũt. Neq; existimabũt uno
solo disputãdi genere excepto, nihil ad se, mu-
nusq; suũ, scholásue ptinere.

EN tibi formã gymnasij Herburthe suis (quã
tũ in me fuit) depictã coloribus. Quæ si ne
q; reipub. satis faciet, neq; ingeniosorũ hominũ
expectationi priuatim respõdebit: tibi certè q et
prouocasti ad scribẽdum, & ut pficerẽ horta-
tus es, satis me facturũ esse arbitror. Quãquam
enim etiã tu exactiora, p tua eruditõe, desyde-
ras, à me tamẽ certò scio, q maiora nõ potui, hoc
qdquid ẽ quod hortatione tua lubens feci animo
grato accipies. Nã si & ego deteriora edidi quã
uolui, & tu minora habes quàm sperasti: illud
fortasse uterq; consequemur, tu hortando, ego
scribẽdo, ut, aut tot ãnis neglectæ Academiæ iã
tãdem succurratur, aut quiuis facilè pspiciat, nõ
præceptorũ

præceptorũ uitio florem nostri Gymnasij deflu-
ere, sed capitũ reipublicæ culpa, qui nescio quo-
modo õnem propemodum gymnasiorum curã
abiecerunt.

Errata insigniora candide lector sequens pagina indicat. Nam mutatiões illas, ad=iectiones, abiectiones, transpositionesq; literarũ quas quiuis uel mediocriter eruditus facile cõ=ijciet, ommisimus, ne crescat plus iusto opusculũ. Libro primo in quibusdam exemplaribus legi=tur Κλομ pro κάλομ. Cap: primo illicebras pro illecebras, abijecerent pro abijcerent. Cap. II in bonam frugem producit, pro perducit. Cap: V Iure consultis pro iureconsultis, Scænolæ pro Scæuola. Cap: VI an principem legibus Solutũ este oporteat, pro solutum esse. ἀνθεώϖοισ pro ἀνθεώϖοισ. enim per Deum immortalem, pro Quid enim per Deum immortalem. appare at pro appareat. Cap: VIII quæsissuiet pro quæsi=uisset. Cap. X. host pro hoste, pepereunt pro pe=pererunt, studiossimum pro studiosissimum. sigu=rarum pro figurarum. Cap: XI. Quid enim rei=publicæ utilius, pro Quid item. Cap. XII sacrã scripturã dedicit pro didicit. Origenis uideliaet pro uidelicet.

LIBRO Secundo. Cap. I. uerisimiliteria pro uerisimiliter. Peripatitico] Sasea p Stasea, Cap: V. pthochdochiis pro pthochodochijs. Cap: VI. Certé equidem in eiusmodi disciplinarum ante=cessoribus ac ducibus, solãq; caniciem. pro Cert. eq: in. eiusm: disci: antecess: ac duc: solam corporis uastitatem solamq; caniciem. Cap. VIII. artifi=ciorum nobiitate, pro nobilitate. Cap. IX cur mercede adeo perexiguna, pro perexigua. Cap. XI. obaltionis indictionisq;, pro oblationis. penuaria pro penaria. Cap. XII. durus pro duris.

non gu
gula d
aliorsum
dictum
utendi
corrigit
pontifice
no: Ale
Ex. d.
omnes
tamen
ex capitu
am b
eandem
de talis
tione ma
sed
a deuo
ne fue
te xtu
nensis